RHETORICORVM
RAIMVNDI
LVLLII
NOVA EVVLGATIO.

QVA PERSPICVA FACILIAQVE
TRADVNTVR DE OMNIBVS,
Tum Scientiæ, Tum Eloquentiæ
Generalia Principia.

Deus Scientiarum Dominus, & ipsi præparantur cogitationes. 1. Reg. 2.

Σαφῶς καὶ σοφῶς.

PARISIIS,
Apud PETRVM BILLAINE, viâ Iacobæâ,
sub signo Bonæ-Fidei.

M. DC. XXXVIII.
Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

FSC

AVTORIS PRÆFATIVNCVLA

Lectori Philologo.

RAIMVNDI LVLLII nomen & famam, nemo eſt qui ignoret. Verum laudemne mereatur an vituperium, amore an odio dignus ſit, *Authores certant, & adhuc ſub judice lis eſt.* Certè Scriptorum nullus tantam ſæculorum, hominumque inuidiam ſuſtinuit. Atenim ex quo nuper vir pietate & doctrina nulli ſecundus, Lullium velut publica Apotheoſi Sacræ ſuæ Curiæ inſeruit; pudor non eſt illius doctrinam profiteri, cujus reliquiæ religioſum cultum in inſulis Balearibus promeruerunt. *R P. Nicol. Cauſſin. Tom. vlt.*

Is nimirum ante trecentos annos ex il-

lustri inter Hispanos familia oriundus, cum vanissimis rebus nuntium remisisset, totum se seuerioris vitæ, pietatis & doctrinæ disciplinis applicuit. Incredibili in Deum amore feruens ardensque zelo martirij, etiam inter tormenta occubuisse memoratur. Pietatis, nouæ Dialecticæ, necnon auri (si credere fas est) per Artem Chimicam fabricandi, volumina conscripsit sanè plurima; vnde passim audijt *magnus in Philosophia Magister, & mirandarum artium ac scientiarum Autor.*

Sunt tamen qui inter hallucinatores & πλημμύρους, Raimūdum annumerent: illiusq; opera mera cōmenta, & nugas plusquam Iberias arbitrentur. Ipse ego olim tralatitio errore & aliena fide, veritus non sum criminari innocentem. Sed candido pectore, & ore rotundo loquamur; licet multis ante annis quam Lullius in nostras deueniret manus, speciali methodo, ab hâc etiam ni fallor diuersissimâ, Sapientiæ Vniuersalis, necnon perennis Eloquentiæ Sinopsim, pro modulo simus meditati; ingenuè tamen fatendum est, ex Arte Rai-

mundi Parua & Magna, necnon varijs in vtramque Commentarijs, ad noſtra ſtudia non parum vtilitatis acceſſiſſe. Nec ſemel vel aures fuerunt vellicandæ, vel mordendi vngues, priuſquam veritas tot ambagibus inuoluta in apertam lucem educeretur.

Remne acu tetigerim, æquis Doctiorum judicijs relinquo. Certè facem in noctis medio accendere, & lucis nonnihil tot tenebris inferre hoc maximè ſæculo pretium duxi. Idque animo perſuaſit meo, neſcio quis ætatis noſtræ ad eas Artes pruritus: nonnullorum ſupinus error, qui fucos & fumos hallucinantur, quoties ob ingenij cœcitatem admirabiles veritatis ſplendores minime conſpiciunt: aliorum error, qui in ſola vnius Lullij Schola omnes omnino ſcientias mox emendatè percipi tam falsò credunt, quam temerè ſomniant, & inaniter pollicentur. His ſuper acceſſit, frequens de hiſce miſterijs inter acrioris ingenij viros, & Scientiarum Pontifices diſceptatio: cruces ingeniorum, aut contemptus in Lullianis difficultati-

bus, cum maxima temporis jactura & capitis periculo enucleandis; preces demum vel imperia eorum quibus vt animum, sic calamum ex animo deuoui.

Tentaueram superioribus annis, prima & quasi rudiora nouæ hujus Rhetorices lineamenta adumbrare; quæ priuatum fauorem satis propitio Numine experta, à scle publico multis titulis, meo præsertim marte abhorrebant. Interim tamen rationibus quamplurimis mihi persuasum est, Lullianam Methodum dubio procul ad omnes Scientias non inutilem: imo quod acriter sustineo, omnium Scientiarum principijs, etiam peripateticis legibus innixam, sic plano & aperto stilo remotis omnibus inuolucris explicare, explicatam facere publici juris; vt deinceps Raimundi Lullij misteria, misteria esse desinant; & nemo sit Philologus, qui mirabili hac Arte siue scribendo, siue legendo fœlicissimè non vtatur. Vtere mi Lector, & fruere; si tamen alio quam Deo tuo frui potes, & delectari.

TIPOGRAPHVS LECTORI

QVOD *tibi offero curiosum opus* (Lector beneuole) *ex Autoris calamo, quem alij tituli venemulti commendant, prece & curâ non vulgari redemeram. Verum illius absentia cum Operarum nostrarum consueta & dolenda incuria, pleraſque paginas tot mendis commaculauit, vt minimè ausus sim eas modo publicare.*

Quia tamen me dudum pro nouo hoc Commentario in Artem Lullij, sollicitabant in Gallia litterati multi, in Anglia, Hollandia, Germania & Italia plurimi; interim dum Autoris aliâs occupatissimi otium suffurabor, vt vltimam manum desiderato operi admoueat; tibi (Lector beneuole) *consultum existimaui, prima hæc rudimenta in lucem præmittere.*

Nam quæ in principio, medio & fine paginæ ob maculas reuulſæ deſiderantur ; præter decatoriam Epiſtolam, variæ Poëſis luſus, noſtroque ævo magnorum Virorum Elogia, & totius Artis exempla ad præceptorum demonſtrationem, aliud nihil continebant. In quo quidem meum conſilium à te laudatum iri confido, qui hoc qualecumque teſtimonium mei affectus erga publicum rei literariæ bonum, tibi offerre omnibus vijs quæſiui, & tandem vt vides, obtinui.

RHETORICORVM RAIMVNDI LVLLII *NOVA EVVLGATIO.*

Qua perſpicua faciliſque traditur de omnibus tum Scientia, tum Eloquentia.

SAPIENTIA quam voco VNIVERSALEM, quia altiſſimas rerum cauſas & principia vniuerſalia contemplatur; id potiſſimum efficit, vt qui illius ſtudio nomen dedere, primò quidem perenni ratiocinatione de omnibus rebus certiſſimam ſcientiam acquirant: tum deinde ampliſſimam comparent ſibi eruditionis ſupellectilem, vt ex diuerſarum opinionum & ſententiarum collatione, notitia vel certior fiat, vel

opulentior euadat. Postremo allaborat rerum veritates ratione inuentas, eruditione politas, decenti verborum culturâ transmittere vel præsentibus loquendo, vel absentibus scripta elucubrando.

Tertium hocce munus exequitur, triplex à me constituta Rhetorica; quarum prima, præcepta in vulgaribus Academijs decantata complectitur: vltimâ pressiori Methodo necdum euulgandâ, peculiarem arcanumque differendi modum ab istâ longè diuersissimum, celat sub diuersis inuolucris; mediam occupat Raimundi cognomento Lullij, noua Methodus; quam dum fusius explanat, stilo vt sæculum erat rudi & impolito, MAGNAM ARTEM: vbi vero contrahit in compendium, ARTEM BREVEM indigitauit. Nos vt complectamur vtramque, Aristotelem imitantes, RHETORICORVM apellamus. Nimirum abs vnâ eâdemque generali veritate quæ rebus in omnibus elucet, vnam eandemque Scientiam oriri Cabbalistæ omnes consentiunt. Cum enim juxta Aristotelis effatum, scientia con-

siſtat in rei cujuſque cognitione, per cauſam; reuera ſicut rerum omnium vna generalis cauſa cauſarum Deus eſt, ita ſcientiarum ſcientia vna eademque generalis admittenda; à quâ vt pote ſublimiſſimâ, certiſſimâque, cæteræ omnes ſubordinatæ Diſciplinæ principia deſumunt.

Obſcuram non diffiteor, ſed quæ tamen veſtigantibus occurrat, tam in veritate quæ res addiſcit: quam in eloquentiâ, quæ verba & terminos depingit. Opus dumtaxat ſubtilitate in intellectu, ratione in judicio, rectâ intentione in voluntate, moderatione in affectibus, modico labore ac perenni diligentiâ; verum imprimis gratiæ D. O. M. auxilio, qui Dominus ſcientiarum rectè appellatur. Quo nimirum fretus, quidquid in ſecretioribus Cabbalæ myſterijs Eloquentiæ nomine celebratur, quatuor omnino Capitulis comprehendi aggredior demonſtrare. In ſummâ igitur, totius oratoriæ Inuentionis libet conſtituere,

S. SVBIECTA NOVEM.

B. Deus.
C. Spiritus Angelicus.
D. Cœlum.
E. Homo.
F. Imaginatiuum.
G. Senſitiuum.
H. Vegetatiuum.
I. Elementatiuum.
K. Inſtrumentatiuum.

A. ABSOLVTA.

B. Bonitas.
C. Magnitudo.
D. Duratio.
E. Potentia.
F. Cognitio.
G. Appetitus.
H. Virtus.
I. Veritas.
K. Gloria.

T. RESPECTIVA.

B. Differentia.
C. Concordia.
D. Oppoſitio.

E. Principium.
F. Medium.
G. Finis.
H. Majoritas.
I. Æqualitas.
K. Minoritas.

Q. INTERROGATA.

B. An ſit.
C. Quid.
D. Quale.
E. Quantum.
F. Vnde.
G. Quare.
H. Quando.
I. Vbi.
K. Quomodo.

Qui termini quatuor totidem nouenis cõprehenſi (plures enim neceſſarios non exiſtimo) triginta ſex conſtituunt artis inuentiuæ fontes, ſeu categorias; vnde omnis Eloquentia in promptu deriuatur, vt exemplis infra probare non erit operoſum. Reuera enim Rhetor ille quem vocant illuminarum, cum jam prouectiori ætate ad lite-

rarum ſtudia mentem appuliſſet, tot labo-
rum pertæſus qui in tradendis addiſcendiſ-
que diſciplinis ſunt exatlandi, vt nec vni
quidem vitæ periodus ſufficiat, Artem hanc
nouam excogitauit; in qua quidem tria
ſummatim mihi veniunt explicanda, ſcilicet

ELVCIDATIO
ARTIS LVLLIANÆ
APPLICATIO
ET EIVSDEM
MVLTIPLICATIO

Et vero non ſecus ac alia omnis vel Rheto-
rica, vel Dialectica, imo & Metaphiſica ad
quam Lullij commentatio propius accedit,
cum & ipſam latitudine excedat; docet Ars
iſta INVENIRE, APPLICARE, & tandem
MVLTIPLICARE rerum omnium
NATVRAS, & proprietates.
NOTIONES, ſeu terminos quibus primò
res exprimuntur.

PROPOSITIONES, quæ de rerum veritate efformantur.

MEDIA, veritati probandæ opportuna.

Probationum ARGVMENTA, horumque ſedes.

QVÆSTIONES varias, quæ ſe ſe paſſim & vbique offerunt.

Dubiorum omnium SOLVTIONES; quid plura? de omni re veritatem, & ſcientiam ſuis numeris abſolutam.

Ideoque vt veram hîc Logicam quiſque intelligat, arte ſua ſeu methodo dirigit Lullius MENTIS OPERATIONES TRES. Quemadmodum enim Grammaticæ leges præſcribunt primò de characteribus, ſeu elementis A. B. C. D. E. tum deinde de ſillabis, quæ ex conſonantium & vocalium mixturâ naſcuntur, Aba, de, Reu; tandem de periodis, quæ per litteras & ſillabas ſenſum abſolutum complent, vt Deus toto eſt animo diligendus. haud ſecus Logica omnis, quæ ars rectè differendi nuncupatur, ordinat primo ſimplices quas vocant APPREHENSIONES, primos nimirum inge-

nij fœtus, qui rem vago & ancipiti significatu efferunt, v. g. homo, Deus, Angelus. Et hæc prima cognitionis lineamenta, primis Grammaticæ respondent elementis. Mox per Compositionem aut Diuisionem, affirmationis vel negationis limitibus se se includunt; v.g. Deus est æternus, homo creatus est ad imaginem Dei. Postremò fusioribus argumentis ratiocinando concludũt, v. g. omni potestati à Deo Constitutæ obediendum est, Rex potestas est à Deo Constituta, Regi ergo obediendum.

Porro primi termini seu incomplexi, idem omnino sunt ac simplices apprehensiones; vixque differunt ab vtrisque, rerum DEFINITIONES. Siue enim quis hominem concipiat, siue Animal Rationale, par ex vtroque notitia consurgit.

Vulgaris schola non malè assignat terminos SINCATHEGOREMATICOS, qui per se soli nihil præcisè significant, alterius adminiculo egeni; quâ in classe reponuntur signa Distributiua, hic, Ille, Aliquis, Partim. Copulæ, &, atque; Disiunctiones, vel, aut:

aut: Nomina, Deus, Angelus, homo: Verba, intelligo, amo, perſequor. Et CATHEGOREMATICOS, quorum ſignificatus per ſe ſubſiſtit; cujuſmodi ſunt Subjecta, & Prædicata; vt Deus, Angelus, Bonus, ſapiens, homo Rationalis.

Atenim acutiſſimè Raimundus, Subjecta COMMVTAT in prædicata, & vice verſa omnes omninò terminos ſibi inuicem ſubjicit; vnde abſoluta in ſe, circà ſe reſpectiua cenſeri debent: ſic enim conceptu generaliſſimo ex ipſis generibus & ſpeciebus efformato, dicet quis, Bonitas eſt magna, Magnitudo eſt bona, in Deo Sapientia eſt æternitas, Æternitas eſt Sapientia.

SVBIECTA igitur, vocantur illi Termini, de quibus aliquid ab Oratore vel affirmatur, vel negatur; verè vel falsè, nihil intereſt. Suntque Subſtantiæ, ſaltem ſeſe gerunt ad modum Subſtantiæ. Ita ampla & vbique expanſa, vt ad ea reliqua omnia poſſint reuocari vel vt Genera, vel vt Species, vel vt Differentiæ, vel vt Proprietates, vel vt Accidentia; Sic Natura diuina, Perſonæ, Æterni-

tas, Omnipotentia ad Deum vti ad natiuum Subjectum reducuntur. NOVEM SVBIECTA conſtituit hujus Artis Princeps, includitque Circulo ; quia figura eſt omnium ampliſſima, motuſque cuius Ratiocinatio & Oratio ſpecies ſunt, capaciſſima. Huncque primum Circulum denotat forte vt leges à primis verbis, ſic à primo Grammate, per literam S.



Quæ quidem characterum, circulorum, ca-

merarum, & combinationum lineamenta vana minimè sunt; QVIA & plura simul vno caracteristio includunt, & minori spatio concluduntur. Quamobrem sicut in omnibus disciplinis, ita in Lullij methodo reperiuntur DVO, velut vmbra & corpus, cortex & medulla; nempe res ipsæ quæ sub præceptis latent, mox mysteria quibus velantur. Et quidem cum discrimine duplici; quòd res ipsæ mentis acumine percipiantur, rerum inuolucra plerumque pertineant ad imaginationem, seu memoriam: Ex illis mera semper scientia oriatur, ex istis plerumque scrupulosa & ambitiosa nugacitas. Vnde fit vt cùm alterum ab altero possit separari, nonnullos reperire sit, qui scientiam ipsam norunt, modum scientiæ his vel illis terminis tradendæ ignorant; alij secus, Artis velut superficiei & grammaticalibus præceptis addictissimi, nusquam veritatis adita penetrant; exemplo res illucescat. De facili nemo non intelliget, nouem in vniuerso constituenda esse Subjecta, Deus, Spiritus Angelicº, Cœlum, Homo, &c. Id enim nosse

mentis est operatio. Sed quod ab imaginatione & memoria proficiscitur, plurimùm desudabit quis, vt perdiscat Circulum cui includuntur hæc Subjecta nouem, designari per literam S: Subjectum Deus, per B:Spiritus, per C:Cœlum, per D:Homo, per E.& ita consequenter. Et hæc salebra est in qua hærent plerique, qui tot figuris, lineamentis, circulis & concamerationibus, abs Lulliana methodo legitimè admodum deterrentur. Quisquis tamen in vtroque peritus esse contendit, diligenter aduertat mentis indagine, retineatque memoriæ & imaginationis beneficio, hancce Rhetoricam QVATVOR CIRCVLIS, SEV FIGVRIS contineri. Quarum prima à me denotatur per literam S. eaque complectitur Subjecta nouem, superiùs recensita; itaut vnumquodque Subjectum designetur per characteres; B. id est Deus: C. id est Spiritus Angelicus: D. id est Cœlũ: E. id est Homo: F. id est Imaginatiuum; G. id est Sensitiuum: H. id est Vegetatiuum: I. id est Elementatiuum: K. id est Instrumentatiuum.

Quorum quidem Subjectorum vt continua raciocinatione amplificetur Oratio, NOSCENDA sunt Naturæ, Definitiones, Differentiæ, Proprietates, & Accidentia. Cui rei deseruiunt Scientiæ omnes, & nouem Subjectorum distributiones non ita multò post summatim indicandæ. Iuuat etiam animaduertere, primis octo subjectis SVBSTANTIAS omnes includi; nono quidquid Accidentis naturam, & nomenclaturam sortitur. Nam Deus, Spiritus, Homo, & alia quatuor Substantiæ sunt; quidquid extra Substantiã est, deputatur Instrumentatiuo.

Neque etiam Prædicata, PARI MODO omnibus subjectis aptari; sed sæpe sæpius analogiam duntaxat & rerum similitudem, maximè in orationibus vigere. Quis enim nesciat Patrem alio modo dici de Deo, alio de Homine, alio, de Præceptore? Flores cœli stellas nuncupari? vtique per metaphoram; quæ sponte occurrit, si à qualibet specie definitionem generalissimam desumas à principio è quo oritur, ab essentiæ characterismo, & à prima seu principe actione quam

producit res definienda.v.g. Flos generalissimo conceptu ab hac aut illa Specie, ab hoc aut illo Subjecto separatus definiatur; pulcherrima amœnitas, seu prima exoriens rei cujusque productio, quæ idonea est fructum similem & integrum progignere; actutùm intelliges, cur Filius æternus dici queat flos Patris: stellæ flores cœli, ver flos anni, juuentus flos ætatis, & ita de reliquis.

Artis itaque MYSTERIVM EST, alibi in nostra Methodo explicatiùs reuelandum, DEFINITIONES velut rerum omnium ipsissima media inuenire; qui enim nouit definire, ignorare quid potest? Definitio autem quatuor modis cudi debet. Aut enim naturalis est; vt homo est animal rationale. Et hæc desumi debet à rei quæ definitur proprio Pincipio, essentia absoluta, prima & principe operatione; vt, pater est agens, qui producit filium sibi similem. Aut fabricata per similitudinem; vt homo est orison, seu sequester naturæ spiritalis & corporeæ. Aut per ampliorem allegoriam, vt homo est scala illa Iacobi Patriarchæ, à ter-

ra ad cœli ſummitatem pertingens. Aut per relationem cujuſpiam Autoris, vt Zoroaſtri definitur homo, audax totius Naturæ miraculum. Damaſceno, Mundi Breuiarium. Gregorio Magno, homo eſt omnis creatura. Qui legit intelligat, hîc enim ſi vſquam latet myſterium. Verùm quia gratis accepta, gratis quoque elargienda, fuſiori exemplo id modo aperiendum.

Si ratiocinando orandoue diſquiratur, quidnam ſit Fides? illa definitione quadruplici reſponde, & rem totam confeceris.

1. Fides eſt lumen ſupernaturaliter infuſum, vt veritates à Deo reuelatas & cognoſcamus, & credamus; en definitionem naturalem, ex Theologiæ penetralibus erutam. Quæ natiua definitio ſola ſcientiam gignit, tres enim ſequentes veriùs oratoriæ deſcriptiones cenſendæ ſunt. Res enim quælibet, in propria ſibi ſcientia natiuam definitionem ſortita eſt; in alijs diſciplinis plerumque aduentitiam, aut certè aliundè mutuatam.

2. Fides eſt oculus mentis; vides ſimilitu-

dinem, & illi vales insistere si volueris.

3. Fides est columna illa nubis, hinc collucens, inde tenebricans; quæ plebem Deo charissimam, veros inquam Israelitas deducit per diem & noctem, ad promissæ hæreditatis possessionem; habes allegoriam.

4. Fides est sperandarum substantia rerum, argumento non apparentium; nost'in Pauli Apostoli, verba fide digniſsima?

Quisquis eadem vestigia relegens, istud Ariadnæ filum sequi nouerit, ipsas jam connatas DEFINITIONES, per earum vel Subjecta, vel Prædicata definiens; nunquam finiendum orationis & disputationis labirinthum inuenit, nec vsquam inter tot circumuolutiones aberrabit. Et hæc Scientia Sapientum, & clauis reuera Encyclopædiæ.

Sic etenim definitiones perpetuæ occurrent, veluti veritatum traduces seu propagines; quælibet veritas ex qualibet orietur, saltem analogicè omnia omnibus aptabuntur; si è circulo T. seu figura tertia Terminorum Relatiuorũ, eximas minoritatem; quæ quia priuationem & deffectum arguit Deo indi-

gna

gna est; Est verò in illo supremo Ente Majoritas, qua supereminet creatis omnibus: Æqualitas, inter omnia ipsi⁹ attributa: Concordia demum, qua ab æterno in vnica essentiæ radice diuinitatis, dignitates illæ seu attributa conueniunt. De cætero licet D. O. M. nullum tempus, quantitatem nullam, vno verbo nullum accidens agnoscat; habet tamen æternitatem loco temporis, immensitatem vice quantitatis, attributas ipsi perfectiones pro accidentibus.

Definitionibus quoque vel fabricandis, vel amplificandis, non parum deseruiunt SINONIMA, quæ facilè vestigantur per triginta sex Terminos; v.g. Deus est Bonitas æterna, gloriosa æternitas, autor Angelorum, hominum finis vltimus, cunctis creaturis potentior, principium & causa omnium in quo viuimus, mouemur & sumus.

Sedenim nihil tam proficuum quàm Scalam naturæ per esse, viuere, sentire, imaginari, & intelligere; dixerim ego, in mea secretiori Methodo, veritatis PIRAMIDEM perfectè nosse; quam hîc licet solum per transennam juuabit vel delineasse, vel inspexisse.

Scundus rationalis.

Deus.

Angelus.

Homo.

Apex Mentis.

Raciocinatio.

Imaginatio.

Passiones.

Sensus.

EXTERNA.

Cœloru m natura

Animalia.

Vegetabilia.

Mixta Perfecta.

Mixta Imperfecta.

Materia prima.

Nihil.

Scundus imaginalis.

ATTENDAT ſeriò verus amator ſapientiæ hujus Piradimis fabricam, eam multis lateribus conſtantem imaginetur, ſupremum gradum vnitate Dei coronatum, infimum materiæ tenebris, nihiloque vicinum, lineas ſeu gradus quindecim, rerum quæ in illis continentur ſeriem & commiſſuras, cæteraquè quæ olim fuſius in Theorematis explicabuntur; mox agnoſcet omnia ex vno, ex omnibus vnum, viam aſcenſus & deſcenſus eandem, rerum compoſitionem, & reſolutionem, Methodum ſinteticam & analiticam rationem: inter Philoſophorum Sectas opinionum diuerſitatem reuera eſſe, contrarietatem nullam; Sed de his aliâs. Interim

Reminiſcatur noſter Philoſophus ſeu Orator, hujus Piramidis lineas gradusve ita DISTINGVI, VT

1. Cujuſque nobilitas petenda ſit à natura, qualitate, motu, reliquiſque titulis per 36. Terminos expiſcandis; maximè à vicinitate cum Deo, Piramidis apice.

2. Vt quidquid perfectionem ſine næuo arguit in inferiori gradu, tribuatur ſuperio-

ri.Sic esse competit lapidi, ergo plantæ, ergo animali,ergo homini, ergo Angelo, tandem Deo.

3. Vt gradus inferior reperiatur sine superiori,non vice versa ; v.g.Lapis vita caret,Arbores sensu, Animalia intellectu.

4. Vt ejusmodi gradus concipiantur generalissimi; quibus subnectuntur alia primo minus generalia, deinde ad speciem aliquam contracta, tandem in particularibus desinentia.Sic descendet ab ente ad viuens, a viuente ad animal, ab animali ad hominem, ab homine ad Ioannem ; qui gradus si impromptu velut numerati habeantur,nunquam titubabit oratio.

Hactenus de primo Circulo,S.seu de nouem Subjectis.Sequitur jam Circulus alter, seu

SECVNDA FIGVRA.

Nam proposito aliquo Subjecto, factaque quæstione, vt aptè latius excurrendo satisfaciat Orator,opus habet Terminis Absolutis, & Respectiuis. Porrò

ABSOLVTA

Sunt termini simplices,qui prima fronte oc-

currunt intellectui ex hominum instituto ad cujusque rei significationem. Vnde & ad vitandam confusionem Sequenti nouenâ cõprehensa, videntur respondere primæ humani intellectus operationi , quam Logici vocant apprehensionem; dicique possunt, TRANSCENDENTALES, CONVERTIBILES, CONIVGABILES & DECLINABILES, nouem quoque modis; v. g. bonitas, bonum, bonificatiuum, bonificans, bonificatio, bonificabilitas, bonificabile, bonificatio passiua, bonificatum. Quod quidem alijs similiter Terminis congruit; nam & de omni Subjecto formari possunt omnes Quæstiones, per omnia Absoluta & Respectiua; & omnia plerumque ad inuicem pro libito & oportunitate, quâ declinando , quâ conjugando conuerti. v. g. Quæstio sit, an Deus sit æternus? Respondetur affirmatiuè; rationes scientiæ & eloquentiæ deseruientes, quia bonus est bonitate ab æterno communicabili, & majore quam quæ reperitur in creatura, quæ non bonificat nisi in tempore. Item declinabis Deus, Deïtas, Deïficatiuum, Deïficans, Deïficatio, Deïfica-

bilitas, Deificabile, Deificatum; & ita de reliquis omnibus, in quibus reperiuntur hi nouem Termini Absoluti, per quos excurrit orator facillima subdiuisione; supponendo Tres primo dici Essentiales.
Tres alios Causatiuos.
Tres vltimos Finales. Illos porrò cõplectitur secunda Figura (sic enim placet appellare, paululum à Lullio diuertens) quæ signata charactere A. continet in sua Peripheria nouem prędicata, quę Lullius vocat ABSOLVTA; iuntque Principia & Termini generales seu transcendentales, qui passim de omni re affirmati possunt, vel simplici ATTRIBVTIONE, vt Deus est bonus, bonitas Dei est æterna, hominis sapientia virtutem operatur, virtus gloriam adipiscitur: vel certa quadam ANALOGIA, quemadmodum rectè brutorum instinctus vocari potest appetitus, sagacitas sapientia, robur virtus; & ita de cæteris. In quibus notandum;
1. Principia hæc de quolibet subjecto prædicari, non solum accidentali & extraneâ ratione, verum etiam SVBSTANTIALI ET IN-

TIMA. Quicumque enim rerum naturas attentius rimatur & examinat, eas reperiet per se ipsas, tametsi abessent extranea omnia, esse bonas, magnas, durabiles, &c.
Itavt omne principium substantiale innatam, habeat ejusdem generis proprietatem, per quam agit velut per natiuum instrumentum. v.g. Bonitas accidens est riuulus & emanatio bonitatis substantialis, per quam res ex seipsis BONÆ, simile sibi operantur. Quo ferè modo animus hominis per se capax intelligendi, non intelligit tamen niti per intellectum, qui speciem refert accidentis. Ait igitur Raimundus, rem omnem seipsâ & essentiali bonitate integram, plenam ac perfectam in se esse bonificatiuam, sic enim loquitur, id est capacem bonitatem sibi similem producendi: cui in alio respondet Bonificabile, capacitas inquam, recipiendi bonitatem, quæ aliundè dimanat; idque per Bonificare, quo designat actum ipsius diffusionis seu communicationem, qua principium producens conjungitur cum effectu producto.

2. Principia hæc vt pote generaliſſima, per ſe implicita debent EXPLICARI, dum ad ſingula deſcenditur. Ita nimirum generaliſſima propoſitione affirmarit quis, 1. Bonitas eſt Magnitudo, 2. contrahendo abſtractum ad concretũ, Bonitas eſt Magna. 3. deſcendendo ad genus, ſpeciem & indiuiduum; Bonitas entis, hominis, Petri eſt magna.

3. Scientiam confici, ſi reperiatur verum MEDIVM; quod aliud reuera non eſt, quam NATVRALIS CONJVNCTIO prædicatum inter & ſubjectum. Hanc porrò conjunctionem à QVADRVPLICI DEFINITIONE petendam eſſe, ſuperius demonſtratum eſt.

4. Abſoluta nouem includit Circulo vt mox inſinuabam, quia Subjectum mutatur in prædicatum, & vice verſa: Bonitas eſt magna, magnitudo eſt bona. Vnde Termini iſti in Deo idem ſunt, & in ſe ſe conuerti queunt alterna reciprocatione; Bonitas Dei eſt magnitudo, æternitas eſt ſapientia, &c. ſecus in alijs octo Subjectis. Quamvis enim generalis propoſitio ſubſiſtat, Bonitas eſt magnitudo, quia ſic abſtrahit ab hoc aut illo ſubjecto: falsò

falsò tamen affirmatur, Bonitas Petri est duratio Petri; mendacia enim & errores particularibus adhærent, quia quæ in illis recipiuntur eorum naturam recipiunt: in conceptu autem abstracto, generali & metaphysico veritas sibi ferè semper similis est.

Ex istis itaque nouem Absolutis, componitur sequens figura Circularis seu Sphærica.



Hunc porrò Circulum noster Autor PARTITVR in circumferentiam, & planum. CIR-

CVMFERENTIAM replent nouem Termini seu Prædicata Absoluta, designata haud secus quàm Subjecta, per B. Bonitas. C. Magnitudo. D. Duratio. E. Potestas. F. Cognitio. G. Appetitus. H. Virtus. I. Veritas. K. Gloria. Medium verò planum in trianguli formam occupant TERMINI TRES, maximè Generales; ESSENTIA, VNITAS, PERFECTIO, ad quæ velut ad Trinitatem creatis rebus impressam, cætera omnia meritò reuocatur.

ESSENTIA prima est rei cujusque ratio, basis & fundamentum eorum quæ quasi aduentitia concipiũtur: per quam quælibet res constituitur in esse suo, suisque Principijs; sicut homo intelligitur inclusus, in animali & rationali.

Essentiam vnitati comparat Philosophus, quia indiuisibilis est, siue simplex illa sit, vt in Deo: siue metaphysicè composita ex genere & differentia, alijsque gradibus, quæ illius perfectionem conflant. Porrò vna & simplex multiplici nomine exprimitur, natura, quidditas, ratio, conceptus, definitio rei; in cujus cognitione quia scientia verè constitu-

ta eſt, illam ante omnia ſolertî opera indagare Sapientis ſtudium eſto.

Primus Eſſentiæ flos quaſi illibatus VNITAS eſt, per quam res quælibet in ſe manens indiuiſa, ſecernitur ab omni alia; quam noſſe juuat plurimum, ad ſcientiæ & eloquentiæ decus adipiſcendum. Eſt porrò multiplex,

SIMPLEX, vt quælibet forma.

COMPOSITA, eaque vel ſubſtantialis, vt hominis conſtans ex materia & forma: vel continui, vt punctorum in linea: vel diſcretionis vt vnus, duo, tria: vel accidentalis, vt aceruus tritici: vel rationis per conceptus abſtractos, vt genus & differentia: vel identitatis in eſſe, vt tres Perſonæ diuinæ: in nomine, vt tres vocati Petri; & ſimilibus. Principium itaque rei cujuſlibet, eſſentia eſt: Medium vnitas, finis vero

PERFECTIO, quodlibet ſuis omnibus terminis & prærogatiuis concludens, conſummãs & abſoluens. Eſtque dupliciter conſiderãda.

1. SIMPLEX in ſe & abſoluta, juxta cujuſlibet artis moduni, menſuram & conditionem; aliter enim Deus poſſidet ſcientiam, aliter An-

gelus, aliter Homo. 2. RELATIVE per respectus ad aliquid aliud, cui res in se perfecta, vtilis & proficua reperitur. Sic Deus primò, in se absoluta & consummata perfectio est: deinde suas nobis perfectiones elargitur, in natura, in gratia, in gloria. Sapiens se solo beatus est, rerum pulcherrimarum contemplatione: reliquis mortalibus pervtilis, dum eos docet, regit, gubernat. Iam verò

TERTIA FIGVRA T.

Continet quoq; nouem Terminos seu Principia, quæ ad præcedentium discrimen Raimundus vocat

RESPECTIVA.

Denotatur nimirũ per characterem T. quia tres Triangulos complectitur, nec Respectiua conuolui possunt vt Absoluta; quis enim dixerit, differentiam concordare, nisi abstrusiori significatu alibi explanãdo? Rem explicat hæc Figura, non amplius per suas perfectiones, in se ipsis præcisè & absolutè consideratas: sed comparationẽ vestigãdo inter duo, vel plura; v.g. Deus est bonus bonitate æternâ, en præcedentis Figuræ A. operatio. Perge porrò, Deus est bonus bonitate diffe-

rente à bonitate Angelorum, quia diuina est à se & infinita, Angelica à Deo suisque terminis limitata; en comparatio & respectus. In quo quidem obseruabis, Terminos Relatiuos NVLLAM ex se solis habere significationem: sed hujus fundamentum & determinationem mutuari, à Subjectis, Absolutis & Interrogatis. Vnde etiam transeunt interdum, in Subjecta & Prædicata; v. g. Differentia Dei & Angeli est æternitas; habes Differentiam loco Subjecti. In Deo & Ang[illegible] ritur finis, en finis locum tenens Prædicat. Lustrandus igitur Circulus iste, seu Figura [illegible] quæ maximi in hac Arte momenti est.

TERTIA FIGVRA RESPECTIVORVM.



Cui vt Respectiuorum natura, officium & mixturæ varię melius intelligantur, adjungenda est hæc altera.

FIGVRA TRIPLICIS RELATIONIS.



Porrò vtriusque Circuli vim & energiam vt comprehendas, sequentia nauiter aduertes, & memoriæ consignabis.

1. Imaginandi TRES TRIANGVLI GENERALES. In primo reponuntur, B. id est Differentia. C. Concordia. D. Oppositio.
In secundo Triangulo, E. id est Principium. F. Medium. G. Finis.
In tertio demum, H. id est Majoritas. I. Æqualitas. K. Minoritas.

2. Tres isti Trianguli, quorum primus vocatur in Cabbala viridis, secundus rubeus, tertius croceus (rationes rimari otiosum fore [illegible]luuntur in NOVEM TRIANGVLOS, quos in posteriori Figura vides inter se implexos; QVIA & se inuicem, & verò cætera omnia penetrant. v. g. Principium floris, differt à principio radij; illius enim est arbor, istius sol: & vtriusque Principij aliud est Principium, nempe Deus. Vnde fit vt in ejusmodi penetratione reciproca, mutuo se corroborent; v. g. homo differt à radio, in principio & fine: hominis namque principium & finis Dèus est, radij Sol & orbem illuminare. Tãdem cum ex Terminis Respectiuis fiat comparàtio, quæ tria complectitur, duo relata & mediam relationem; rectè per tres angulos

gulos triplicatos delineantur. v. g. Cognitio beata Angeli & hominis concordat inter se, seu similes sunt. Tria haud dubiè intueris; Angelus & homo, en duo correlata, quæ inter se comparantur per similitudinem cognitionis beatæ, quæ genus quoddam est relationis.

3. Horum omnium VSVS sanè per quàm vtilis, vt seriò meditanti apparebit. Nam tres termini primi trianguli, sic inseruiunt; in probanda propositione affirmatiua, [illegible] Concordia: in destruenda, juuant Differentia, & Oppositio.

EXEMPLVM primi, affirmo hominem esse Dei imaginem; probationes plurimas suggeret Concordia; homo ad justar Dei est intelligens, amans, &c. ergo Dei imago & expressio perfectissima.

EXEMPLVM secundi, affirmat Paganus Iouem esse Numen, negat Christianus, quîa Deus est à se, Iouis cunabula visuntur: Deus fruitur immortalitate, Iuppiter tributum soluit naturæ; & sic de cæteris.

Iterum, Concordia MEDIA inuenit proba-

tionis: Differentia & oppositio, SOLVTIONES & distinctiones suppeditant, vt demonstrant exempla.

Tres Termini respectiui SECVNDI Trianguli, E. idest Principium. F. Medium. G. Finis; distingunt rei NECESSITATEM, CAVSALITATEM, CONTINGENTIAM. Etenim Subjecta cum Prædicatis componi possunt, 1. necessariò, vnde affirmatio necessaria. 2. nulla vngnam ratione, vnde negatio necessaria. 3. indifferenter vel componi possunt, vel diuelli; vnde propositio contingens. Accipe Exempla; primi, rationale & risibile: secundi, rationale & brutum: tertij homo & eruditus. Si mauis explicatiora? sole supra orientem posito, luceat necesse est, quia lux semper est cum suo Principio conjuncta; ergo vbicumque Sol erit, ibi lucebit necessario. En Principij necessitas, attende sequentem causalitatem. Quomodo Pater in Diuinis, producit Spiritum sanctum? recurre ad Medium, Filius medius est inter Patrem & Spiritum sanctũ; ergo Pater produeit Spiritum sanctum per Filium, vel cum Filio. Scribo, quonam me-

dio? calamo; & ita de alijs. Denique Medicinæ Faculratis finis eſt ſanitas, Oratorię perſuaſio; Medicus & Orator potentiurne ſuo fine? anceps & dubium.

Tres Termini TERTII & vltimi Trianguli, H. ideſt Majoritas. I. Æqualitas. K. Minoritas, eloquentiæ, quàm Scientiæ deſeruiunt magis: verborum amplificationi, quam rationum probarioni vtiliores. v. g. homo viuens eſt, quia vita elucet in Deo qui major eſt: in Angelo, cujus eadem menſura cum homine; in Brutis, quibus longè excellentior homo eſt.

4. Pretium artis eſt, notare COMPARATIONEM inter figurã A. & T. Terminos inquam, abſolutos & reſpectiuos. Hic opus ingenio. Termini ABSOLVTI, rei cujuſlibet eſſentiam IN SE ſic conſiderant; Bonitas eſſentiam, Magnitudo Exiſtentiam, Duratio Perfectionem. Tres ſequentes reſpiciunt operationem rei, quæ jam eſt, exiſtit, & habet perfectionem ſuam. Primo quidem, facultatem agendi conſiderat Potentia; deinde agendi modum, Cognitio & Appetitus. Tres

vltimi, designant rei consummationem seu complementum; in queis Virtus præcedit, cui debet inesse Veritas, & nascens ex vtraque Gloria, in qua rei cujusque quies & beatitudo. hæc de Absolutis.

Pari quoque modo, se gerunt RESPECTIVA. Differentia enim respondet Essentiæ, & Bonitati. Concordantia, Magnitudini. Oppositio, Durationi; nihil enim propriè contrariũ alteri, nisi istud extra suas causas existat. Principium respondet Potentiæ, Cognitio Medio, Appetitus fini, ad quem semper inclinat & tendit; Majoritas virtuti, Æqualitas veritati, Gloria Minoritati.

In qua quidem Absolutorum & Respectiuorum comparatione, credas velim secretũ Artis latitare. His namque facilè deprehendet non omninò inuitâ Mineruâ natus, quid rei conueniat in se, & à se: quid ab alio, & ad aliud; quæ in rei constitutione proprietates præcedant, quæ sequantur. Facillimè rerum probationes velut promus condus exeret, quaslibet objectiones dissoluet; distinguendo Essentiam ab effectis, Essentiam

à modo, modum ab operatione, intrinſecum ab extrinſeco; & ſic de ſimilibus. Atque his quidem Subjectis innituntur

INTERROGATA.

Seu Quæſtiones nouem, fere cum Philoſophorum Cathegorijs recurrentes: Quas regunt quatuor principales; An, Quid, Quale, Quare. Reliquæ enim ſunt velut accidentales, licet vtiquè miſceri poſſint inter ſe. Quæ quidem Quæſtiones, de vnoquoque Subjecto ex nouem ſupra rec..... poſſunt efformari, vt ampla Oratori ſeges ac materia procreetur. Dum ſcilicet omnibus iſtis quæſtionibus ſatisfieri poteſt, per affirmationem, aſſertiuè, & demonſtratiuè: per dubitationem, probabiliter; rectè enim dubitare initium ſapientiæ, infit Ariſtoteles; denique per negationem, & contrarium reſpondendo. Vtrumque complectitur diſtinctio, quæ affirmat vnam partem, negat alteram; vt ſequenti patebit inductione.

B. AN SIT.

C. QVID.

D. QVALE.

E. QVANTVM.
F. VNDE.
G. QVARE.
H. QVANDO.
I. VBI.
K. QVOMODO.

Vasa ad omnia intelligibilia Raimundus vocat; nec tam ea accipit pro dubijs propositionibus, quàm pro signo seu modo per quẽ questio efformatur Has nimirum Quæstiones concludit Circulo, seu Figura quarta.



Atque vt varijs Quæſtionibus reſpondendo fiat ſatis, diuerſas idcirco REGVLAS cuique ſubnectit noſter Autor, quas non abſimilis indicat figura.



Earum NATVRA eſt, vt poſſint replicari in INFINITVM; & deduci per omnes termi-

nos orationis, seriè nunquam finiendâ. v.g. quæsitum sit, quidnam homo est? respondeatur, Imago Dei. Reponatur statim, sitne homo id quod dictum est, Imago Dei? Peruolue omnes, vel plerosq; Terminos qui supersunt 35. vndenam homo Imago Dei? à Deo Autore. Quamobrem? vt Deum in inferiori orbe veluti Vicarius representer. Ad cujus Differentiam? Auium, Piscium, Quadrupedum. Cum quibus in hac ratione conueniens sum Angelis, &c.

Prima igitur quæstio reliquis præambula, An sit? Cui vt respondeatur, regula est POSSIBILITAS. Nam vel affirmatur possibilis, vel negatur; Alterutrum vero discernitur,

1. Cum aliquid CONSENTANEVM apparet intellectui, & sensui; si tamen Catholicæ fidei excipias misteria, quæ superant captum vtriusque naturalem.

2. Si ex possibilitate, sequitur DESTRVCTIO alicujus è 36. principijs, omnino neganda est; vt si concesserim Deum posse mori, sequetur dubio procul non esse æternum. Si homo principium nullum haberet, careret & fine.

3. Vt

3. Vt efficaciter inquiratur, neceſſe eſt in aliquo tandem principio conuenire, quemadmodum aliquod immobile motum ſuſtinet; quod principium Metaphiſicum eſt à particularibus ſcientijs determinandum; v. g. Nihil eſt à ſe, ergo homo eſt ab alio. Nihil ſimul eſt verum & falſum, ergo fides Catholica nullas inuoluit contradictiones.

Rei poſſibilitate determinata ſequitur.

QVID SIT? cui reſpondetur per DEFINITIONEM; Definitio fabricatur ex genere, quod ſuggerit materia, & differentia, quam præſtat forma: ſed vtrumque reperire, hoc opus, hic labor. Lucem prætulit Lullij Diſcipulus non infimæ notæ, Valerius de Valerijs in opere aureo, noſtrique æui Petrus Moreſtellus; quorum hæc adnotatio videtur OPTIMA. Vt Genus cujuſlibet rei inuenias, veſtiga in loculis, ſeu cameris primi Circuli S. ad quem ex nouem Terminis, pertineat Subjectum de quo Genus quæritur; vt fiat Definitio: certè enim, ſi Subjectum, ſub quo reperietur res definienda, pars ſit eſſentiæ cómunis pluribus ſpecie differentibus, erit Ge-

nus: si sit tota essentia, erit species. Ex gr. Ignis pertinet ad Terminum T. in Circulo S. ergo rectè incipies definire Ignem per Genus hoc modo, est Elementum. Deinde, ne nimis vaga sit Definitio, distributis exactè terminis per species & partes, vt ostenditur in Multiplicatione, assumi debet Genus proximum. v.g. comburere est actio Ignis, Ignis constat calore & siccitate: comburere non est actio siccitatis, quoniam Aqua fortis, quæ humida est, comburit; ergo est actio caloris in Igne. Scire est actio hominis, non corporis, ergo animi: non voluntatis, ergo intellectus.

Adde quod TERMINI PRÆDICATORVM vsurpari possunt pro generibus, vt fiat saltem descriptiones; v. g. si definiatur amicitia per B. in Circulo A. Bonitas naturæ spiritalis: per K. in eadem figura, radius diuinæ gloriæ in homine: per D. Imago æternæ durationis in Deo. Similiter ex terminis Circuli T. seu tertiæ Figuræ, quę est Respectiuorum; Amicitia virtus est, qua homo differt à Brutis & lapidibus, Angelo & supremo numini tã-

tum non æqualis euadit, &c.
Quod si SVBIECTVM aliquod ex nouem definiendum occurrit; sume tibi Genus & Differentiam ex aliquibus Terminis. v.g. intellectus est in homine, principium cognitionis. INTELLECTVS EST IN HOMINE, en E. in Circulo S. PRINCIPIVM, en E. in Circulo T. COGNITIONIS, en F. in Circulo A. Amor est appetitus humanus inclinans in bonum,&c.
Quin etiam potest loco Generum, sumi DIVISIO GENERALIS Circulorum; in substantias increatam, creatam; primam scilicet in S. Et octo accidentales. v. g. homo est substantia creata ad imaginem Dei. Gladius Instrumentum est homini, determinans ad scindendum panem. Hæc de Generis vestigatione.
Iam verò DIFFERENTIA inuenitur, per tres quæstiones, CVIVS RES SIT, QVALIS, PROPTER QVID.
Cujus, nimirum res definienda possessor sit, quidve habeat, aut quo efficiatur. v. g. Rex Princeps est habens subditos. Quantitas est

Accidens, à qua Materia habet Magnitudinis extenſionem. Simili ratione definietur res poſſeſſa: ſeruus homo eſt in dominio & poteſtate heri ſeu Magiſtri. Rurſus INVENITVR tá poſſeſſor, quàm res poſſeſſa, mouendo Circulos & terminos in illis incluſos, hoc modo.

Aduertatur primo, ad quem Circulum pertinet id de quo mouetur quæſtio: is enim terminus erit procul dubio, vel poſſeſſor, vel poſſeſſa. v. g. ſi quæritur quidnam ſit viſio Beata? veſtigo Genus in Circulo, ſeu figura A. in ſecundo ternarco; quia primus eſt operandi modus, conſequens potentiam & eſſentiam vnam, ac perfectam; ſtatimque definio, viſio beata eſt cognitio, EN GENVS: deinde in Circulo S. ſeu prima figura quæro poſſeſſorem, cognitio competit Deo, ſpiritibus, homini; ergo viſio beata eſt cognitio Dei, Angeli, hominis. Vlterius quæro, quæ pars in homine digna ſit poſſidere viſionem beatam? Et hîc fieri debet partitio; cum enim perfectiſſima, nobiliſſimaque operatio principi, & nobiliſſimæ. v. g. hominis facultati

tribuenda sit, & circa nobilissimum objectum; sic efficies, visio beata est cognitio humani intellectus perfectissima, quâ Deum intuetur.

Sequitur jam altera methodus DEFINITIONIS reperiundæ, per quęstionem QVALIS res sit? si enim substantiua in adjectiua commutaueris, per tres Circulos S.A.T. idest Subjectorũ, Absolutorum, Respectiuorum; illico differentia tibi occurret. v. g. diximus visionem esse cognitionem intellectus, rius quære cujusnam intellectus? perge ad Circulum S. seu Subjectorum, dices per B. C. E. diuini, Angelici, humani, vbi ad Circulum A. seu Absolutorum, addes per B.D.&R. est cognitio intellectus boni bonitate consummatâ, æternûm duraturâ, Glorioſi &c. Denique in Circulo T. seu figura Respectiuorum per B. C. H. I. K. Intellectus differentis à Bruto, cum voluntate optime concordantis, ęqualis Angelis, & Deo similis, cognitio omnium perfectissima, scientiam ac fidem multis interuallis exuperans.

Tandem in quæstione QVARE? Reperies

differentiam, quærendo cur Subjectum, seu res tali specialiter nomine denotetur? v. g. visio Dei quare dicitur beata? Repones, quia omnium bonorum aggregatione constans, felicem, seu beatam facit intellectum, qui illam possidet.

In summa clarius definitur describiturve res quælibet per EFFICIENTEM CAVSAM, visio beata est cognitio intellectus Glorioſi: per EFFECTVM, quâ videtur intuitiuè: per [illegible]ECTVM, videtur inquam intuitiuè Dei Essentia: per PERFECTIONEM, cum cumulo omnigenæ felicitatis. Quibus adjungitur non raro actus, visio beata Deum videt: & APTITVDO, per quam eleuatur homo ad consortium & similitudinem Dei.

Adde insuper QVATVOR alias Regulas respondendi, quidnam res est in se? quid habet in se? quid est in alio? quid habet ab alio? v. g. visio beata, QVID EST IN SE REI? Cognitio Dei intuitiua. Quid in se nominis? ab ethimo Subjecti vel prædicati, visio intuitiua, quasi intus tuens, seu videns. Homo est animal rationale, dicitur homo ab humo; ani-

mal, quia animum habet; rationalc, quia ratiocinatur. A tranſlatione, allegoria, & Metaphora, vt homo eſt oriſon Cœli & Terræ, Radius diuini ſolis, tabernaculum diuina manu fabrefactum, ſupremi conditoris opificium præſtantiſſimum. Sequitur.

Quid res quælibet HABET IN SE? nempe naturaliter & coëſſentialiter; ad quod reſpõdetur per illa, ſine quibus res eſſe nequit; videlicet per-Iuum-Are-Bile. v. g. quidnam in ſe habet homo amicus? Reſponde ner. connata, amatiuum, ideſt, facultatem amandi; amare, qui eſt ipſe actus amicitiæ; amabile denotat tendentiam rei amantis in rem amatam, quæ amabilis eſt.

Porrò quidnam res in ſe habeat? plurimis inquiritur modis. Puta.

ESSENTIALITER, ſic Deus habet tres perſonas in ſe.

EMINENTER, Deus habet ſcientiam in ſua ſapientia.

VIRTVALITER, Deus habet inſtinctum & Appetitum, propenſionem dico, ad bonitatis ſuæ riuos diffundendos.

POTENTIALITER, Deus habet potentiam creandi mille mundos.
ACTVALITER, hunc orbem reuera condidit.
IDENTICE, Essentia diuina habet in se personas, & Attributa.
VNITIVE, Deus continet omnes omnino perfectiones; nam pulchritudo agri cum illo est.
IMMENSIVE, replet enim Cœlum & Terram, & Iouis omnia plena.
PER DOMINIVM, in omnes Creaturas.
PER INFLVXVM, gratiæ in Iustificatione.
PER MIXTIONEM, in Incarnatione.
PER MODVM loci, tam proprij, quam communis, Christus in vtero B. V. in præsepio, in sepulcro, in sacramento.
PER MODVM PERFICIENTIS, siue substantialiter, vt persona Verbi, perficit humanitatem Christi: siue accidentaliter, vt Verbum æternum per lumen gloriæ, perficit intellectus Beatorum.
AD QVIDNAM RES SIT IN ALIO? Respondebit Lulliista, per proprietates relatiuas

latiuas cujuſmodi eſt

FORMA ſubſtantialis, ſiue accidentalis in Subjecto; anima rationalis eſt in corpore: intellectus, & voluntas in anima; cognitio in intellectu, amor in voluntate.

PARS IN TOTO, vt oculus in facie, facies in capite, caput in corpore, corpus in orbe, orbis in ente.

TOTVM IN SVIS PARTIBVS; verte vices, ens in orbe, orbis in homine, homo in anima, anima in intellectu & voluntate, corpus in capite, facie, & oculis.

INFERIVS ſecundum prædicationem in ſuperiori, Petrus & Ioannes in homine, homo & Leo in animali: deinde ex aduerſo, homo in Ioanne & Petro, animal in homine & Leone.

POTENTIA in operatione, vt intellectus in cognitione, oculus in viſione, locatum in loco, Intelligentia mouens in ſua Sphæra, cor in pectore, Præſes in palatio, Rex in throno, & ita conſequenter.

Ad Quidnam res habeat ab alio? ſatisfacies per actionem & paſſionem. v.g. quidnam Fi-

lius Dei habeat ab hominibus? curare infirmitates tãgendo, docere fidem loquendo, &c. ecce actiones; habet quoque passiuè conceptionem in Virginis vtero, adorationem à Magis, vltimum supplicium in Caluario.

Sed enim exemplo vnico, quatuor ejusmodi species colligamus. Quid est visio Beata? IN SE, est cognitio intellectus.

QVID HABET IN SE? Euidentiam, comprehensionem, perpetuitatem, &c.

QVID EST IN ALIO vita Beata? in Cœlo Empireo, vnio, conjunctio intima, & similitudo perfectissima in Deo.

QVID HABET AB ALIO? lumen gloriæ à Deo, vices speciei impressæ abs Dei essentia, speculum omnium creaturarum à verbo, societatem à consortibus gloriæ, laudem & honorem à terrenis cultoribus.

Ad quæstionem QVALIS RES SIT? facilè est respõdere, per QVATVOR qualitatis species. Aqua est frigida, vel tepida, en habitum & dispositionem: Aqua miscet elementa in generatione, & congelatur à frigore, en actionem & passionem.

Deinde mutanda ſunt 36. Principia, & abſtracta in cõcreta. Qualis eſt homo ſapiens? reſponde in figura S. Diuinus, à Deo Autore & Magiſtro: ſpiritalis, ab Angelis quos imitatur: Cœleſtis, à Cœlo cui ſemper intendit & aſpirat: omnium diſciplinarum & artium ſtudioſus, ab Inſtrumentatiuo, &c. In Circulo A. homo magnus eſt, à virtute quam colit: æternûm victurus, à fama nominis & lucubrationibus: Gloriâ coronandus, ob heroïcas virtutes. In Figura ſeu Circulo T. ideſt Reſpectiuorum, qualis eſt homo ſapiens? longè diſtinctus à plebe & fece vulgi, paulominus Angelis inferior, Deo inquit Seneca, contubernalis, &c.

Ad Quæſtionem QVANTVM? Regulæ ſumendæ ex quantitate abſolutâ in ſe, relatiuâ ad circumjacentem locum; continuâ, vt in ſuperficie, & lineâ: diſcretâ, vt in numeris & tempore: virtuali, vt eſt immenſitas in Deo: actuali, vt ſunt dimenſiones corporeæ.

Ad Quæſtionem VNDE? SEV EX QVO? Reſpondendi regulæ, à quo per veſtigatio-

nem principij,cauſę & originis.Item de quo, ſcilicet materiali.Sic Deus nec ab alio eſt, nec de alio: Angelus ab alio,non de alio: Corpora ab alio nēpe Deo,& de alio de humo ſcilicet. Regula altera eſt Cujus? arguens poſſeſſionem,vt mox explicui.

Ad Quæſtionem QVARE res eſt? Quare res eſt talis? res eſt ab hoc? de hoc? hujus? propter hoc? &c. ſatisfaciunt diuerſa cauſarum genera. Ponatur Controuerſia, Quare homo ſaluatur? Repone ſolutiones; Primo,occur- ..a cauſa efficiens prædeſtinatio æterna, & diuini beneplaciti lex inuiolabilis: meritoria in alio,Chriſti paſſiones; in homine,gratia ſanctificans. Cauſa Materialis ex qua, ſcilicet ex omnium bonorum cumulo: In qua,in anima & corpore: Circa quam,circa Dei eſſentiam, omnium rerum contemplationem &c. Cauſa formalis,nā gloriæ lumen hominis intellectum eleuat & colluſtrat; Finalis,vt homo laborum mercedem recipiat, ſupremo bono fruatur, Deum cognoſcat, amet, glorificet, &c.

Ad Quęſtionem QVANDO? vt Reſpondeas,

percurre omnia temporis momenta, infra in Terminorum multiplicatione recenſenda. v. g. Chriſtus natus eſt, vt Deus ab æterno: vt homo, in plenitudine Temporis: vt à Virgine, in momento: ſecundum anni tempeſtatem, in hieme: hujus tempeſtatis qualitatem, frigidiſſimo tempore: anni diſtributionem, menſe Decembri: menſis partes, die vigeſima quinta: diei partem, media nocte: Imperium principis, ſub Auguſto Cæſare: ſtatum Reipublicæ politicum, toto orbe in pace compoſito: Reſpiciendo ad Religionis ſtatum, ſub occaſum Legis Moſaïcæ, & in ortu Euangelij: Conſiderãdo Aſtrologiam, ſole in ſigno Capricorni exiſtẽte: Mũdi creationẽ, quinquies mille centum nonaginta nouem annis ab orbe condito: ſecundum diuerſorũ Gentium imperia, vel computa & æras temporum, à diluuio bis mille nongentis quinquaginta ſeptem: Olimpiade centeſima nonageſima quarta: ab vrbe Roma condita, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo; anno Impẽrij octauiani Auguſti, quadrageſimo ſecundo: Contemporaneis inter Iſ-

raëlitas, Ioanne Baptiſta: inter Græcos, Romanos, &c. Quæ vt vides, propè in infinitum protendi poſſent.

Ad Quæſtionem VBI? Reſpondes PHISICE 1. per differentias locales, ante, retro, ſurſum, deorſum, in dextrâ, in ſiniſtrâ parte. 2. Per locorum ſpecies in Cęlo, Aëre, Terra, Aqua &c. 3. Per horum diſtributiones, in Empireo, in Aſia, in Europa; in Gallia, in Armorica, Nannetis, in Domo, in Cubiculo, in Cubili.

2. METAPHISICE, in Genere & differentia, vt homo eſt in animali & rationali. Item per Lullij Terminos, in Magnitudine, Duratione, Principio, fine, &c.

3. MATHEMATICE, in numero, menſura, gradu, pondere, linea, ſuperficie, figura, angulo, &c.

4. POLITICE, in foro, ſenatu, Regis curia, Dei templo, in choro, intra cancellos chori, in majori Altari; omni demum modo, quo vnum in alio poſſumus imaginari.

Quæſtioni QVOMODO, ET CVM QVO? præfiguntur Regulæ duæ, 1. MODVS ſeu Modalitas, an ex ſe res id fecerit, an ab alio? in-

trinsecè,an extrinsecè? substantialiter,vel accidentaliter? per materiam, vel formam? primâ productione, an secundariâ? similem an dissimilem? & sic venando,ac replicando per 36. Terminos.

Deindè respódetur per omnia INSTRVMENTORVM genera, quæ paulò post indicabimus; vt homo viuit per animam, cognoscit per intellectum, spirat per pulmonem, percutit brachio,scribit calamo, loquitur absentibus per literas,bella gerit per exercitus,coronatur lauro & palma,&c. Quæ pariter suggerunt 36. Termini reuoluti in se, & per se innumeris combinationibus replicati; cui rei deseruiunt non parum, notæ omnibus Circunstantiæ,

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo quando.

Habet igitur curiosus,Rhetoricã Lullij Cabbalisticã, 36. Terminis in quatuor Classes seu Circulos distributis, clarè saris & breuiter comprehensam.In quibus notanda est,aurea illa Homeri & Platonis CATHENA. Nam I. statuuntur SVBIECTA nouem Generalissi-

ma, extra quæ nihil prorsus extat, Deus, Spiritus, Cœlum, homo, &c.

2. Expediuntur singulis nouem Subjectis adnatæ PROPRIETATES, NOVEM ABSOLVTÆ: & itidem ita Generalissimæ, vt reliquæ ad istas necessariò reuocentur; Bonitas, Magnitudo, Duratio, &c.

3. Quæruntur quasi forinsecus, rei tamen cuilibet adhærentes RESPECTVS, seu ad alia comparationes nouem; Differentia, Concordantia, Oppositio, &c.

4. Vt inchoëtur, moueaturque perennis ratiocinatio animi, oris, calami; fabricantur QVÆSTIONES similiter nouem. An, quid, quale, quare, &c. Quæ secus quam dum nebulæ & latibula quærebamus, vltimæ Classi idcirco reseruantur; quia non solum possunt formari de prima Figura. seu de Subjectis, verum etiam de Absolutis & Respectiuis; imò & de seipsis ad inuicem, quia sæpissimè transeunt in Subjecta. Dabo exemplar, ne quid superfit offusciarum. Non solum quæritur de Deo, vel homine, an sit, quid, quale, quare, vnde? &c. Sed etiam vlterius, an sit

an sit bonus, æternus, potens, virtute & gloria præditus? Rursum vnde illa bonitas, virtus, gloria, propter quid? &c. Pari quoque viâ, quomodo differant Dei & hominis sapientia, virtus, gloria? Imò quid sit hæc ipsa Deum inter & hominem differentia? qualis sit, vnde petenda, quare necessaria? &c.

5. Nouẽ literæ, seu notæ & characteres illis 36. Terminis significandis destinantur; adeo vt quælibet significet QVATVOR TERMINOS, vnũ in vna quaque Figura, seu Circulo. verbi gratia B. significat Deum in Circulo S. Bonitatẽ in Circulo A. Differentiam in Circulo T. An sit in Circulo Q. Adde in artis extensione (quam tamen necessariam minimè judicauimus) inter vitia, Auaritiam: inter virtutes, Iustitiam. Misterium quidem est tot combinationum & concamerationum, quæ cruces ingeniorum sunt in Magistro Lullio.

6. Attendi debet exquisitè, CONNEXIO inter omnia hæc 36. Principia. Est enim TRIPLEX; Methodica, quam ita delineatam vidimus, vt primò sint Subjecta, Deus Spiritus, Cœlum, homo & ita de reliquis.

2. ARBITRARIA, ad libitum Oratoris seligenda & instituenda; vt si velit à Deo transeat ad Cęlū, à Bonitate ad gloriam, à Sapientia ad Angelum, à virtute ad Differentiam, à principio ad quæstionem quare; & ita consequenter.

3. NATVRALIS & intrinseca connexio illa est, quæ veram scientiam format; quia cognitionem gignit eam quam exigit Aristoteles, per causam propter quam res est, præsertim in quæstione QVARE? quæ ideò fons est totius scientiæ; imò & sapientiæ, per altissimas & generalissimas rerum causas, in quo naturalis Beatitudo sita est. Reuera enim,

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

Hæc autem intima & essentialis connexïo, iterum TRIPLEX est; Generalis, specialis, & specialissima. GENERALIS quasi vaga & indifferens vnam perquirit veritatem, vbique saltem analogicè radiantem; itavt posito vno ex 36. Terminis, alij omnes consequantur, quia videlicet omnia hæc principia cum ente vno, & perfecto conuertuntur. Ideò ex omnibus Terminis formatur vnus generalis-

simus Terminus, ens videlicet de quo scire possumus & eloqui: ex omnibus Subjectis, vnus conceptus: ex omnibus veritatibus, differentijs, principijs, &c. ratio vna generalissima veritatis, differentiæ, principij, &c. quæ passim in omni ente reperiuntur.

SPECIALIS connexio Terminorum attenditur ratione præsuppositionis, itavt formalis sit cõsequentia retrograda vnius ad aliud, posterioris ad prius; v. g. Beati sunt glorioſi, ergo eorum gloria vera est: ergo virtuti innititur, ergo amant, & cognoscunt, ergo possunt, ergo existunt in aliqua duratione, ergo habent aliquid in se magnum & præstans, ergo sunt quid Boni, ergo sunt aliquid, ergo non sunt nihil. Ecce analisim primi principij Metaphisici, impossibile est idem esse simul, & non esse.

SPECIALISSIMA connexio omnium optima, quærit non quid præsupponatur: sed quid vna res per se primo producat, vt ordo naturalis constituatur. Verum hactenus dubito, an cuiquam mortalium ea connexio generalis, & rerum omnium penetratio con-

cessa sit. Faciliusque crediderim priuilegium esse sapientię beatæ, fortassis etiam increatæ. Non desunt tamen qui illâ gaudeant, in rebus nonnullis; qui in omnibus repererit, erit certè mihi magnus Apollo.

EXPLICATIONI Artis Lullianæ, consultò à me subjungitur ejusdem Applicatio; vt per illius MVLTIPLICATIONEM & quasi extensionem, nostrum hoc Scholasticon finiatur. Sit itaque

APPLICATIO ARTIS LVLLIANÆ CABBALISTICÆ.

CErte enim cum solemne discrimen sit, artem inter & scientiam, quod ista perpetuis contẽplationibus adhæret, de operatione parum admodum sollicita: illa secùs delibatâ præscriptorum theoriâ, statim descendit ad praxim; rectè vt cætera omnia noster Lullius, suam Methodum ARTEM appellat, quia illam speculando delineasse vix quicquam est, nisi exercitio perpoliatur. In præceptorum explicatione scientiam non nego, in eloquentia artem esse aio; in Multiplicatione vtriusque mixturam. Sic igitur ad Applicationem deuenies. Cum Oratoris officium sit, de quâlibet re propositâ in vtramque par-

rem aprè differere ad perſuadendum ; liquet profectò materiam orationis quæſtionem eſſe, quæ de omni Subjectò poteſt efformari ; adeovt in Cabbalâ, non minus quam in reliquis Diſciplinis neceſſe ſit,

1. Scire partes Subjecti propoſiti , finem quæſitum,& medium ad eũdem finem. Subjectum ponatur Theologia,de quâ velut orationis finis inquiretur , ſitne reliquis ſcientijs ac diſciplinis præſtantior? Aſſertionis probandæ medium erit, quia hominum ſalutem juuat augetque plurimum. Cum enim Muſica ſolummodò aures titillet, pictura oculos paſcat, Mathematica res merè externas contempletur, Scientia Naturalis plena ſit erroribus,Ethica caducam virtutem inſpiret;vna nimirum Theologia, hominum mentes eleuat ad certiſſimam Numinis cognitionem , adorationem ac fruitionem; in quibus ſita eſt ſalus hominum conſummata.

2. Poſt Subjecti inſpectionem (ſiuè theſis, ſiuè hypoteſis ſit) ad APPLICATIONEM deſcendere oportet vel Authenticè,vel Similitudinariè , vel Exemplariter. Sic nimirum

doceri poteſt, Regum ac Principum vitam ſubditorum ſaluti præferendam. Quod facere debent imprimis Chriſtiani, ad id pietatis officium impulſi vel ipſâmet Gentilium autoritate, qui in ſolemni precum formula, ſic orabant referente Tertulliano;

De noſtris annis tibi Iuppiter augeat annos.

Tum ductâ ſimilitudine ab Apibus, quas pulchrè deſcribit Poëtarum Princeps Virgil. *Georg.* 4.

Sin autem ad pugnam exierint, nam ſæpè duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu, &c.
Et circa Regem, atque ipſa ad prætoria denſæ
Miſcentur, magniſque vocant clamoribus hoſtẽ.

Tandem Exemplo illius, qui cum accepiſſet ex oraculo Regem in pugnâ occidendum: Regijs ipſe armis corruſcans, in medias hoſtium phalanges irrupit.

Applicatur deindè implicitum ad explicitum, vt animal ad rationale & irrationale; abſtractum ad concretum, vt bonitas ad bonum; quæſtio ad locum, vt vndè eſt bonus Angelus? A cauſis, & vice versâ. Res enim noſcuntur vt fiunt, per corruptionem igno-

rantiæ, & doctrinæ acquisitionem.

3. Ponendum est SVBIECTVM de quo mouetur controuersia, veluti in centro; circum in peripheriâ triginta sex Termini, qui variè inter se commixti quasi lineæ, methodo per quàm facili deducent ad circumferentiam stylum orationis, sermonem & calamum oratoris, auditoris attentionem. hæc namque Ars, verè Ars est mnemonica, quod rectè Carbonetus, & alij adnotarunt.

Et hæc quidem Subjecta quaternario numero, ideoque telesmatico absolui potuerant, per

ESSE.

VNVM.

VERVM.

BONVM.

Nisi arrideret magis vnitas nouies replicata, vt in cubum, seu quadratá nouenam desinat. Sunt ergo vt explicui superius, Subjecta nouem non amplius, & illa quidem generalissima, quorum superiora continent eminenter inferiora; nam misticus is numerus placuit Cabbalistis, in N g. G g. G p. Inque triplici mundo. B. DEVS.

B. DEVS.
C. SPIRITVS ANGELICVS.
D. COELVM.
E. HOMO.
F. IMAGINATIVVM.
G. SENSITIVVM.
H. VEGETATIVVM.
I. ELEMENTATIVVM.
K. INSTRVMENTATIVVM.

Ad hæc posse reuocari quæcunique creata existunt, vel increata, quis non videt? Vndè & de ijs dumtaxat, fingi possunt oratoriæ quæstiones. Modo supponas, vnum quodque Subjectum debere habere propriam definitionem, differentiam à cæteris, concordantiam cum singulis & omnibus; sic vt nobilius Subjectum pendeat à nobiliori principio, & illa nouem certò quodam ordine per ≋ & ≋ ♂, velut primæ vnitati concatenentur; vt ab eo velut principio diffluant, & ad *illum* velut finem reducantur.

Proposito itaq; per thesim, hypothesim ve Subjecto aliquo ex memoratis, velut in centro; illi in peripheria circumdabis triginta sex Terminos, quatuor Circulis, seu Figuris inclusos.

Tũ debet orator ſingulos attentius inſpicere, vt pro judicio & opportunitate omnium faciat mixturam, in Subjecto quod tractat exornando. Eo namque modo oratio facillimè multiplicatur, per COMMATA & HIPOCOLA, quæ ſuggerẽt rei cujuſque Attributa; quærendo eorum diuiſionem, & diuerſa cuique Subjecto tribuendo per complexionem ſubſtantialem & accidentalem, dum examinantur

Genus, vt in homine, Animal.
Differentiæ, vt rationalitas.
Species, humana ex animali & rationali.
Proprietates, propriæ vt riſibilitas, Aduentitiæ vt color.
Facultates, vt intellectus, voluntas.
Habitus, vt Fides, Scientia, Prudentia.
Operationes, vt amare, ambulare, loqui.
Paſſiones, vt calefieri, ægrotare, comburi.
Partes, anima, corpus, pes, manus.
Principia, Deus, Elementa.
Cauſæ, parentes, materia, forma.
Effect⁹, liberi, lucubrationes, Architectonica.
Similia, homo præterit ſicut flos agri, fugitque velut vmbra.

Conuenientia, hominem decet benefacere, misericordia moueri.
Opposita, homini aduersatur vitium, Ignorantia, Crudelitas.
Priora, parentes liberis, Corpus animâ.
Posteriora, liberi parentibus, natiuitas conceptione.
Exépla, petuntur à Subjecto quod tractatur.
Relatiua, filius ad patrem, simile ad simile.
Extranea, fortuna, diuitiæ, suppellex
Varia. Idque
Naturâ, vt membra in corpore.
Complexione, vt partes domus, cæteræque artis & Metaphisicæ operationes.
Prædicatione, homo est sapiens, pius, justus.
Conjunctione, homo conjungit in se corpus & animam.
Separatione. Ex parte
Subjecti, animal in terrestre, aquatile, volatile. Ex parte
Prædicati, rationale per cognitionem præteriti, præsentis & futuri; ac
Modi, &c.
Ea omnia per 36. Terminos variè miscendo: & vti prædictum est, vel declinando, vel con-

jugando. Valdè porrò notandum, horum omnium Applicationē debere esse VNIFORMEM; itavt quod primū statuitur ex triginta sex Principijs, regula sit & mensura cæterorum. v. g. si in Subjecto posito essentia est infinita, vt in Deo: Bonitas, Magnitudo, Duratio, & reliqua erunt quoque infinita. Si cognitio corporea est, appetitus, cæteraque consequentia erunt etiam corporea. Vnde quando hi Termini alicui Subjecto applicantur, illius induunt naturam. Quo fit vt per rerum Piramidem à nobis excogitatam, & alibi enucleandam, ascendendo nec non descendendo Terminus vnus, opposito vt sic jungi nequaquam debeat. Absonum enim & Mezentij scelus, nectere Bonitatem malitiæ, durationem non existenti, principium impossibili; sed omnia justè temperanda.

Summò interim cauendum est opere, ne ex istis Raimundi præceptionibus vana duntaxat, & ostentitia quædam verborum, seu terminorum dilatatio hauriatur; quæ vel pueris ipsis ac mulierculis, haud secùs quàm psittacis posset tandem instillari. Cui periculo vt occurratur, penetrandi sunt Artis 36. Termini;

diſcendæ res ipſæ, in naturæ fideique Schola; tum quid de eis in ſcientiarum claſſibus paſſim jactatur, noſtra tandem Methodus percipienda; quæ fateor, per Lullianas partitiones latius explicatur, & verò non parum illuſtratur, tametſi omnino diuerſa cenſeri debeat.

Sed enim vbiquè ars regenda, vitandumque Auditoris faſtidium. Quod vtrumque aſſequeris, ſi initium orationis facis, & temperamentum aliquando ab abſolutis, aliquando à reſpectiuis, aliquando ab interrogatis. Si compares abſoluta cum abſolutis, abſoluta cum reſpectiuis, abſtracta cum concretis & ſimilia; donec ſimili artificio ducatur ad vmbilicum, ſermonis filum ac textura; quod dandis ad calcem exemplis, clariùs innoteſcet. Vt ſic per ſcientiarum orbem, & eloquentiæ Circulum, viuida ſimul & florida ſpatietur dicentis, vel ſcribentis oratio, quæ audientes legentesvè rapiat in admirationem.

Iam verò non vltimum, licet loco vltimo reſeruatum, Lullianæ Artis miſterium eſt, ejuſdem

MVLTIPLICATIO ARTIS LVLLIANÆ CABALLISTICÆ.

QVÆ ita triginta sex Terminos, seu principia connectit, & in se inuicem replicat seu reuoluit; vt de re quâlibet, scientia & eloquentia oriatur nusquam finienda. Diffusa quidem, sed rationibus pressa, sibique semper inhærens & simillima.

Talis autem multiplicatio fit non vno modo, in vulgari Dialectica, in Figuris, & in Terminis tam extraneis, quàm innatis seu in arte explicitis.

Prima igitur MVLTIPLICATIO in Dialectica vulgari, fit per VERBVM mentale, vocale, scriptum; primæ intentionis, quo aliquid verum & reale significatur, vt Deus, ho-

mo, Angelus; ſecundæ intentionis, quæ noſtra conceptio rebus appingit, vt ſunt ſubjectum, prædicatum, antecedens, conſequens & ſimilia.

Verba PRIMÆ INTENSIONIS alia ſunt poſitiua, Deus, Angelus, homo: alia verò negatiua, quæ ad poſitiua reducuntur, mors, tenebræ, cæcitas.

POSITIVORVM alia ſunt vniuerſalia, vt ſpiritus, corpus, animal, homo: alia particularia, vt Michaël, Leo, Petrus.

VNIVERSALIA ſunt 1. vniuoca ſeu ſinonima, quæ idem nomen, eundemque habent ſignificatum eſſentialem, vt homo, lapis, Leo. Suntque præcipuæ voces quinque Genus, ſpecies, differentia, proprium, Accidens, de quibus Logici. 2. ÆQVIVOCA, quæ in nomine à caſu, vel conſilio impoſito ſolùm conueniunt, differunt in definitione eſſentiali; vt canis reſpectu Terreſtris, Aquatilis, Cœleſtis. 3. ANALOGA, quorum nomen commune, ratio per nomen ſignificata partim eâdem, partim diuerſa, vt vertex montis & capitis; ſanitas in medico, medicinâ, & à mor-

bo liberato. Fit autem Analogia vel ſecundum ATTRIBVTIONEM, quando vnum aliquid præcipuum, ſignificatum ita poſſidet, vt reliqua ad illud referantur; vt pater de Deo dicitur principaliter, quia ab illo omnis paternitas in Cœlo & in terra nominatur. vel ſecundum PROPORTIONEM, vt vertex dicitur proportionaliter de ſuprema parte montis, capitis, &c.

Sunt inſuper SINONIMA, ſeu polionima, vt Deus, ſupremum numen, Creator, opifex; nomina quippe diuerſa, ratio nominibus ſignificata prorſus eadem. HETERONIMA, nomine & ratione differunt, vt amor, amatus, amare. Nominantur etiam TERMINI CATHEGOREMATICI, qui ſcilicet aliquâ ex decem cathegorijs continentur, vt ſubſtantia, quantitas, qualitas, &c.

TRANSCENDENTALES, qui extra cathegorias excurrunt, continenturque hoc vocabulo REVBAV; id eſt Res, Ens, vnum, bonum, aliquid, verum. DISIVNCTIVI, hic, aliquis, &c.

COLLECTIVI, vt multi, trium viri, pater familias, &c.

SIN-

SINGVLARES, qui rem demonstrant.

Tandem CATHEGOREMATICI, Cincathegorematici, Abstracti, Concreti, Absoluti, Connotatiui, Subsistentes, Inhærentes; alijque, quos fusiùs recenset, & explicat Peripateticorum Dialectica; quam idcircò huic Arti præmittere commodum erit, vt per illos Terminos amplificetur tùm Scientia, tùm Eloquentia.

SECVNDA MVLTIPLICATIO fit PER FIGVRAS, in propria scilicet & aliena.

IN PROPRIA quidem, vnum prædicatum per alia simpliciter deducendo, vel *vt jacent*; vt differentia differentiæ, differentia concordiæ, bonitas bonitatis, bonitas magnitudinis. Vel commixtione arbitraria, vt differentia principij, concordiæ, finis; idque ascendendo à particularibus ad vniuersalia; & contra.

IN ALIENA DVPLICITER. 1. Miscendo T. & S. idest voluendo Circulum seu Figuram Respectiuorum, per Figuram Subjectorum; vt si vestigetur differentia vel concordia GENERALITER, inter B. & E. idest

Deum inter & hominem. SPECIALITER, inter Michaëlem & Petrum; SPECIALISSIME, inter Petrum & Ioannem. 2. Miſcendo T. & A. ideſt Reſpectiua & abſoluta; vt ſi quæritur differentia inter bonitatem & bonitaté, inter bonitatem & magnitudinem &c. 3. Inueniendo & miſcendo Terminos EXTRANEOS, quos ſcilicet Methodus hæc diſertè non exprimit, vt potè minus generales & immediatos. Emerguntque 1. ex Terminis triginta ſex quatuor Figurarum, vt Petrus in E. S. 2. Per oppoſitionem ad aliquem ex illis Terminis, vt Malitia opponitur bonitati. 3. Vicinitate, & ſimilitudine ad eoſdem, vt immenſitas magnitudini, & extenſio quantitati vicina eſt.

Illos verò ſuggerunt diuerſæ Sciétiæ; producitque exemplum Lullius in ſuis CENTVM FORMIS. Quæ nihil aliud ſunt, quàm proprietates profluentes à rei cujuſque differentiâ, vel modo intrinſeco. CVIVSMODI ſunt vnitas, pluralitas, ſimplicitas, materia, exterioritas, interioritas, diſpoſitio, proprietas, conditio, ordinatio, dependentia, &c.

Suntque velut SECVNDARIA MEDIA, quæ ſtudioſos paulatim deducunt ad ipſius eſſentiæ cognitionem. Adeovt ſi rei cujuſpiam eſſentia ignoretur, ſtatim recurrendum ſit ad illius Terminos extraneos, formas ſeu proprietates; quæ velut diuerſi radij ſimul vniti, ſolem repræſentabunt. Cauendum tamen ſummopere, ne ad rei notitiam comparandam, inhæreatur affectionibus, quæ communes ſint & nimis vagæ: alioquin definitio erit impropria, certè ſuperflua, & oratio ſua extenſione langueſcens.

Quod ſi rei alicujus *ignoraueris tam eſſentiam*, quam proprietates; ſine morâ recurre ad NATVRAM REI OPPOSITÆ. Si enim noſti hujus proprietates (vt fermè fit) omninò diuerſas conclude de re quam quæris, & negotium ſcientiæ confectum eſt. Verbi gratia, diei proprietates ignoras, recurre ad noctem; hæc obſcura eſt & nigerrima, ergo dies clara & lucida. Æſtatem ignoras, ejuſque proprietates, cogita hiemem; hæc frigidiſſima eſt, ergo æſtas calore feruet. Mors quid ſit, nunquam expertus es: vitæ proprietates

meditare, ſpiras, loqueris, manducas, ambulas, &c. ergo in interitu horum omnium contraria; mortui namque os habent & non locuntur, oculos habent & minime vident. Libertatem minime guſtaſti, finge tibi diuerſiſſimam vitam à carcere, compedibus, neruo, fuſtibus, &c.

Omnis porrò Multiplicatio, fit PER PROPOSITIONES. Vt autem fiat propoſitio, inquire Subjectum, deinde prædicatum, mouendo Circulos. Vt inuenias SVBIECTVM, perquire nouem Cameras, ſeu Terminos, primæ Figuræ S. In aliqua nouem cellularum latitabit vel explicitè, vt Deus ſub B. Angelus ſub C. Homo ſub E. Vel implicitè, vt perſona Patris, aut Spiritus ſancti ſub B. Michaël ſub C. Ioannes ſub E. Quod ſi in nullo laterculo primi Circuli Subjectum occurrat, reuolue A. & T. hoc eſt ſecundam Figuram Abſolutorum, & tertiam Reſpectiuorum. Quæ quia ſæpè induũt, vt dixi, naturam Subjectorum, Subjectum illud quod quæris ſubminiſtrabunt. Demus exemplum hoc modo. In Figura A. Sapientia eſt cauſa cur Dei boni-

tas, ſciat producere creaturas ſibi ſimiles & bonas. Et quia hæc ſapientia Dei magna eſt, æterna, potentiſſima, glorioſa, &c. Efficit vt Deus producat in Creaturis imaginem ſuæ magnitudinis, æternitatis, potentiæ, gloriæ, &c.

Eodem modò decurre Figuram T. Reſpectiuorum; Sapientia cuncta ordinans cauſa eſt, cur Deus omnia creando diſtinxit. Et quia ſapientia per Concordiam omnia conjungit in vnitate, ratio eſt cur Deus tot partes mundi differentes vniuit in vniuerſo. Et quia ſapientia opponitur ignorãtiæ, per illam Deus omnia condidit in luce, ſine tenebris & ignorantia. Quod in infinitum poterit extendi, ſi lubet.

Ex quibus conclude, Terminos in Arte EXPRESSOS variè miſceri, ad augendam Multiplicationem. 1. miſcentur expliciti inter ſe; bonitas & magnitudo, magnitudo & duratio, poteſtas & differentia, concordia & principium, &c. 2. EXTRANEI inter ſe, vnitas & ſimplicitas, materia & forma, interioritas & exterioritas. 3. EXPLICITI CVM EX-

TRANEIS, bonitas & vnitas, pluralitas & differentia, ſimplicitas & gloria.

Multiplicantur autem vel in VNA FIGVRA, vel in duplici, etiam interdum multiplici; idque ex parte ſubjecti, prædicati, modi, aut omnium ſimul. Exemplis rem illuſtremus. In S. ſeu prima Figura ſimpliciter, quæ eſt Subjectorum, Deus eſt homo: homo eſt ſentiens & vegetans.

In A. ſeu ſecunda Figura Abſolutorum, bonitas eſt magna, cognitio eſt vera;

In T. Differentia eſt oppoſita. Deinde ipſaſmet Figuras combinando, & miſcendo.

In S. A. Deus eſt Bonus, Sapiens, Magnus, &c.

In S. T. Deus eſt Principium, & Finis.

In S. Q. Angelus eſt à Deo: homo propter Deum.

In A. T. Bonitas eſt concordans: Magnitudo eſt differens.

In T. Q. Differentia eſt à forma. Et eo modo, cum vna literula miſcentur & variantur triginta ſex Termini, itavt in infinitum excurrat oratio; verbi gratia, Deus melior eſt Angelo, quia ejus duratio magnitudinis eſt ęternæ. In

iſta propoſitione vnica habes ſex literas, *Deus*, ecce B. S. *Melior*, ecce B. A. *Angelo*, ecce C. S. *Duratio*, ecce D. A. *Magnitudinis*, ecce C. A. *Æternæ*, D. A.

Verum enimvero ſpecies commixtionis præcipuæ & quaſi principes, apud Raimundum ſunt quatuor.

PRIMA eſt Figura A. ideſt Abſolutorum in ſeipſa, vt bonitas eſt magna.

SECVNDA T. ideſt Reſpectiuorum, differentia eſt oppoſita.

TERTIA ex combinatione A. & T. ideſt Abſolutorum ſimul & Reſpectiuorum, magnitudo eſt differens.

QVARTA COALESCIT ex tribus præcedentibus ſimul junctis, ideòque cenſetur omnium ſicut generaliſſima, ſic optima. Conſtatque TRIBVS CIRCVLIS, quorum ſuperior ſtat ſemper immobilis, duo inferiores mouentur. Itavt in qualibet Camera ſeu cellula TRES LITERÆ ſint, quarum prima indicat Subjecta propoſitionum, ſecunda media copulantia, tertia prædicata quæ enunciantur.

IN SECVNDA FIGVRA A. Termini omnes de primò Subjecto, nempe Deo, ad INVICEM conuertuntur: de reliquis octo Subjectis, non nisi seruatâ proportione. Illiusque munus est & OFFICIVM, manifestare NATVRALEM CONIVNCTIONEM inter Subjecta & prædicata: quænam conuertuntur ad inuicem, & quæ non conuertuntur, passiones proprias & aduentitias; ex quibus nascuntur MEDIA ad scientiam necessaria.

Atque hujus quidem Figuræ mixtio fit.

1. In abstracto, bonitas est magnitudo.
2. In concreto bonum est magnum.
3. In abstracto & concreto, bonitas est magna.
4. In concreto & abstracto, magnitudo est bona. Sed imprimis attendi debet CONSONANTIA inter Terminos, vt congruè procedat ratiocinatio; de quo enim affirmatur bonitas æterna, virtus finita dici non debet, quod suprà insinuaui.

TERTIA FIGVRA T. seu Respectiuorum, voluitur circulariter, linealiter, & transuersaliter;

uersaliter; mutando angulos cum angulis, & terminos cum terminis, gencraliter & specialiter. Itavt anguli mutuò se penetrent, & adjuuent. Denique Figura A. T. quæ miscet omnia Absoluta cum omnibus Respectiuis, media quam plurima perquirens; continetque triginta sex Cameras, seu Terminorum combinationes, quarum quælibet continet duodecim propositiones. Quæ trium Figurarum combinationes, efficiunt de vno quoq; Subjecto plusquam MILLE PROPOSITIONES, quarum vna alteram gignit, & corroborat. Propositio enim cófirmatur, tùm cùm in suos resoluitur Terminos, & hi per Circulos deducuntur. Quid enim aliud confirmatio, quam plurium propositionum simul junctarum cohærentia? virtus namq; eo fortior, quo magis vnita. Quanquam in tanta propopositionum copia, quæ orationem & scientiam partim juuant, partim amplificant, partim ornant, seligendæ potiores, nec enim numerandæ sunt, sed ponderandæ; sæpè alioquin, eędem combinationes recurrerent satis inutiliter. Exemplum vnicum statuamus, in

quatuor Figuris.

Probandum assumo sequentem propositionem, bonitas Dei est glorioſa. Subjectum propositionis est bonitas, prædicatum glorioſa; Ambo in Circulo A. sub literis B. & K. Sic igitur perlustrabo, vel si placet loqui cum Doctore, euacuabo Circulos & Cameras; primo quidem, planè & simpliciter in eadem Figura A. per nouem media.

1. Quod se admirabiliter diffundit in omnes Creaturas, est glorioſum; bonitas Dei diffundit se in omnes Creaturas; ergo bonitas Dei est glorioſa. Habes combinationem B. B. K.

2. Quod magnitudine sua se extendit ad Angelos & homines, glorioſum est: bonitas Dei est ejusmodi; ergo &c. Est combinatio C. B. K.

3. Quod æternum est, glorioſum est; bonitas Dei est æterna, ergo glorioſa; en D. B. K.

4. Quod potestatem habet super omnia, glorioſum est; bonitas Dei est ejusmodi; ergo; ecce E. B. K. Et sic consequenter vsque ad K. Quod affert Gloriam Deo, Angelis, & hominibus glorioſum est: bonitas Dei affert gloriam Deo, Angelis, Hominibus; ergo bonitas

Dei eſt glorioſa; combinantur in hac propoſitione K. B. K.

Haud aliter demonſtratur propoſitio per nouem cameras Circuli T. ſeu Reſpectiuorum.

1. Quod cuilibet enti ſuas proprietates tribuit, eſt glorioſum; bonitas Dei tribuit cuilibet enti, &c. ergo glorioſa; en B. B. K.

2. Quod omnia reducit in harmoniam, & quaſi perfectiſſimam conſonantiam, glorioſum eſt; bonitas Dei eſt ejuſmodi, ergo; en C. B. K.

3. Quod apponitur malitiæ & infamiæ, glorioſum eſt: bonitas Dei *eſt ejuſmodi*, ergo; en D. B. K.

4. Quod omnium rerum principium eſt, glorioſum eſt: bonitas Dei eſt omnium rerum principium, ergo glorioſa; en E. B. K. Et ita de alijs quatuor.

Vis miſcere omnes Figuras? ſic age. Quod

C. S. D. S.

tribuit Angelis immortalitatem, ſoli lucem,

E S. I. S. H. S.

homini gratiam à lapidibus & brutis diffe-

C.T. B.S. G.A.
rentem, ſimillimam Deo; quem reddit ama-
D.A. K.A. K.S. K.A.
bilem in æterna gloria, per lumen gloriæ
K.A.
cognoſcendum, glorioſum eſt: bonitas Dei ea omnia exequitur; ergo glorioſa eſt. Hîc decem & quatuor combinationes videas. E. in S: I in S: H. in S: B. in T: C. in T: B. in S: G. in A: D. in A: K. in A: K. in S: K. in A: F. in A: tandem prædicatum K. in A; id quod demonſtrant notulæ literarum terminis quos deſignant, ſuperpoſitæ.

Breuius ſic habe, quod habet principium æternum à ſeipſo, Glorioſum eſt: bonitas Dei habet principium æternum à ſeipſo; ergo bonitas Dei eſt glorioſa. Vides probationem vtique efficacem, quam format combinatio. E. in T. nempe *Principium*, quartus Terminus Reſpectiuus. Deinde D. in A. nempe ÆTERNVM, ſpecies durationis, quæ eſt tertium Abſolutum. Tandem F. in Q. VNDE nimirum, quæ eſt quæſtio

quinta. Quæ tres combinationes mutuo se juuant, vt confirmetur propositio B K. in S. & A. videlicet Bonitas Dei est glorioſa. Iam opinor concludet quiuis cum Græco Poeta, σαφῶς ϗ σοφῶς.

Denique triginta ſex Artis hujus Terminos ſi cupis MVLTIPLICARE, illorum partitiones & proprietates, per titulos & ſubtitulos diligenter addiſce. Neque hîc pretium eſt, ſingulos per natiuam illis amplificationem diducere, habent ſiquidem debita ſpatia in Circulis Enciclopædiæ; adeovt claſſes præcipuas & cellulas quibus locantur, indicare ſit ſatis. Singulos igitur triginta ſex Terminos relegamus, & ſummatim diſtribuamus.

B. Deus.
C. Spiritus Angelicus.
D. Cœlum.
E. Homo.
F. Imaginatiuum.
G. Senſitiuum.
H. Vegetatiuum.
I. Elementatiuum.
K. Inſtrumentatiuum.

DEVS.

Totam replet THEOLOGIAM; sed maximè PRIMAM partem, vt vni-trinus, autorque vniuersorum. SECVNDAM, vt finis per virtutum opera acquirendus. TERTIAM, vt Incarnatus autorque gratiæ, sacramentorum, & gloriæ consummator. Atque sub hoc respectu triplici, cognoscitur supremum illud Ens viâ

CAVSALITATIS, cum à creaturarum cognitione conscēdimus ad notitiam Creatoris. Vt mundus non est à seipso, ergo à Deo conditore.

EMINENTIÆ, vbi omnis creaturarum perfectio creatori tribuitur, sed ratione eminentissima; vt sapientiæ radij in hominibus elucent, ergo in Deo omnis sapientiæ pelagus.

REMOTIONIS, quoties creaturarum defectus remouentur à creatore. Vt Deus est vtique scientiarum Dominus, sed citra tenebras & ignorantiam. Deinde intelligitur EXISTENS vbiquè per essentiam, præsentiam, & potentiam. Quippe agit seu OPERATVR,

INTERIVS, per cognitionem intellectus, quâ filium progignit: deinde per voluntatis amorem, quæ productio est Spiritus sancti.

EXTERIVS, per opera temporanea quibus exit quasi extra se; cujusmodi sunt creatio, conseruatio, redemptio, justificatio, glorificatio. Hæc enim varias constituunt Entis supremi proprietates; quarum aliæ vocantur PERSONALES, sic solus pater gignit: aliæ verò

ESSENTIALES, potentia, scientia, æternitas; aliaque attributa.

SPIRITVS ANGELICVS.

Substantia nimirum creata, & ab omni materie secreta; cujus potissima OPERATIO est intelligere, vnde nomen intelligentiæ illis tributum: secundaria mitti à Deo ad diuersa officia, vnde Angeli nuncupantur. Suntque omnes natura boni, plerique autem sua culpa mali. Vtrique considerantur in prima itidem parte Summæ Theologicæ, vbi inspicitur Angelorum

NATVRA.

INTELLECTVS.

VOLVNTAS.
OPERATIO, ET MOTVS.
CREATIO.
GRATIA.
GLORIA.
ORDO HIERARCHICVS, per nouem classes distributus; sunt enim Cherubini, Seraphini, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Archangeli, Angeli.
Diabolus verò Angelus naturâ est, sed à gratiâ Apostata: & à Cœlesti gloriæ regno suâ culpâ, in æternas inferorum tenebras detrusus.

COELVM.

Ostendunt libri de Cęlo in Philosophia, consideratis illorum,
ESSENTIA, quæ diuersæ, saltem nobilioris naturæ, quintum constituunt corpus, seu elementum.
NVMERO, nam Cęlum censetur alijs vnum, alijs Tria, alijs nouem, alijs plura vel pauciora.
MOTV, Circulari à seipso vel ab Angelo assistente, non informante.
ACCIDENTIBVS, quorum alia consequun-

tur

tur Cœli materiam, vt ſunt durities, denſitas, raritas, pelluciditas, opacitas: alia formæ adhærent, vt motus de quo paulò ante, lux ſolis & aſtrorum, calor virtualis, influentiæ occultæ.

HOMO

Narratur vbique in Philoſophia, in Theologia, in Medicina; vbi examinatur illius

NOMEN, impoſitum appellationis causâ, à parentibus, patriâ, caſu, &c.

NATVRA, in ſexu, gente, natione, cognatione, patriâ, ætate, bonis fortunæ, corporis, animæ.

VIRTVS, apud quos vixerit, quomodo, quos habuerit præceptores, ſocios, amicos: quo in negotio, quibus artibus & quæſtibus fuerit occupatus, quâ vſus conſuetudine domeſticâ & ciuili, quomodo adminiſtrauerit familiam, communitatem, &c.

IN FORTVNA, quæritur liberne an ſeruus, pecunioſus an contra, priuatus, felix, clarus: quos liberos, ſeruos habuerit; quos geſſerit magiſtratus, & cætera quæ fortunæ bonis cõprehenduntur; ad quæ etiam vitæ & mortis

genus reuocari poteſt.

HABITVS definitur, animæ & corporis conſtans & abſoluta in re aliquâ perfectio. Ejus partes ſunt ſi corpus inſpiciamus, ſtudio & induſtriâ corpori comparatæ dotes; ſi animum, Scientiæ virtutumque perceptio.

AFFECTIO ſeu paſſio, eſt animi aut corporis extempore & causâ facta mutatio; vt lætitia, cupiditas, dolor, vnſuerſæ demum animi affectiones, ſentientiſque appetitus paſſiones.

STVDIVM, eſt aſſidua & vehemens animi ad aliquam rem applicatio, vt ad Gramniaticam, Geometriam, Militiam, &c.

CONSILIVM, eſt aliquid faciendi, aut non faciendi verè excogitata ratio.

FACTA, caſus & ſermones tribus penſantis temporis partibus, quid fecerit, faciat & facturus ſit; quid acciderit, accidat aut accidere poſſit; quid dixerit, &c.

IN NEGOTIIS conſiderantur ea quæ anteceſſerunt, quæ illius complexione geſta & dicta, quæ cauſæ, quæ in gerendo negotio interuenerunt, quæ conſequuntur.

IN GESTIONE considerantur locus, tempus, modus, occasio, facultas.
RELIGIO, Clericus, an Secularis, Monachus, Episcopus, Sacerdos? Atheus, Paganus, Iudæus, Schismaticus, Hæreticus? &c.
POSTERITAS, vbi de morte, & quæ ante vel post officia, prærogatiuæ, liberi, opera, monumenta, gratia & gloria.
In quinta Subjectorum classe numerantur

IMAGINATIVVM.

Quod explicat Physica & Medicina, per
ESSE
VIVERE
SENTIRE intrinsecè; nam sentire extrinsecè, pertinet ad sextum subjectum, nempe

SENSITIVVM.

Ibidem expositum, per
ESSE
VIVERE
SENTIRE extrinsecè; & quidē quintupliciter,
VISV, respectu luminis & coloris, quid enim aliud oculus prospicit?
AVDITV, respectu soni, quem efficiunt durities corporum & leuitas aëris in aëre, aqua

& igne per murmur, vocem, & Echùm.
GVSTV, respectu saporum qui in humido siti sunt.
ODORATV, respectu odorum qui magis sicci sunt.
TACTV, quod faciunt animalia nullo medio externo, siue interno, per neruum & cutem. Quæcumque etenim verè viuunt vti animalia omnia, vita fruuntur sensitiua; cujus operationes præcipuæ tres.
SENSATIO quintuplex, ante recensita.
MOTIO progressionis quadrupedum, piscium, auium; cum violenta, seu corporum projectorum.
APPETITIO naturalis, quæ & instinctus dicitur.
ANIMALIS SEV SENSITIVA, cui subnascuntur PASSIONES sex in concupiscibili; Amor erga bonum cognitum, desiderium si abest, gaudium si adest, odium circa malum oblatum, fuga si malum absens est, Tristitia si præsens. Quinque in irascibili, circa bonũ arduum absens, spes; si extra spẽ est, desperatio: nullus autem motus si illud bo-

num præſens eſt, quia arduum eſſe deſinit. Circa malum arduum vt fugiatur, timor: vt repellatur, audacia; ſi opprimit, ira excandeſcit. Eſt demum

APPETITVS rationalis in intellectu & voluntate, à quo humanæ actiones

ELICITÆ, quando intellectus vel voluntas immediatè, & per ſe illas producit.

IMPERATÆ, cum ab alijs facultatibus exeruntur, juſſu tamen ſuperioris.

INTERNÆ, cognoſcere, amare, &c.

EXTERNÆ, quas peragunt diuerſa membrorum miniſteria. Atque in hac vitæ ſentientis claſſe recenſentur,

ZΩΟΦΥΤΑ, ſine motu, & perpetuo adhærentia, vt oſtrea: non ſemper adhærentia, vt mituli, les moucles.

IMPERFECTA cum motu, vt cancri fluuiatiles, lacerti, &c. item vermes, naſcentes Ex plantis, & ſeminibus, vt formicæ, erucæ, Aſelli, &c.

Ex homine exterius, pediculi, pulices, cinifes, &c. Interius ex inteſtinis, lumbrici rotundi, oblógi, lati: tæniæ, aſcarides ſeu pungétes, &c.

Ex Piſcibus, Echenis, ſeu Remora; Stella, ſeu Aſter.
Ex Auibus, Muſcæ, Veſpæ, Papiliones.
Ex Serpentibus, Araneæ, Phalangiæ, Tarantulæ, Scorpiones. Similiter

MINVS IMPERFECTA AMPHIBIA.

E Terra fiber, ſeu Caſtor.
Ex Aëre veſpertilio.
Ex Aqua rana, ἰχθυόπτερος.
Ex Igne Salamandræ, Pirauſtes, &c. His accenſentur

EXANGVIA, INSECTA, &c.

MONSTRA, vt muli, &c. ex diuerſarum ſpecierum copula. Tandem eminentiori loco extant

PERFECTA TERRESTRIA

Ouipara, viuipara, ſeminipara.
Ruminantia, vt Bos.
Non cornuta, Lepus, Leo.
Cornuta cum pilis, Capræ.
Silueſtria, Cerui, Damæ, Capreoli.
Setigera, Boues, Sues.
Lanigera, Oues.
Non ruminantia, vnguifida, porci,

Πολύδαχθυλα, vnguibus non fiſſis digitorum more, vt Talpæ, Muſtellæ, Simiæ, Vrſi, &c.
Vnguiſolida, prominentibus dentibus, vt Elephas.
Planis vt æquus. Sequuntur

AQVATICA

In Aqua dulci vel ſalſa, majora vel minora, ſcabra ſeu aſpera, ſquammoſa, cruſtacea, ſpinoſa, interius vel exterius.
Plana, vt quatuor Solearum ſpecies.
Longa, vt Murena, Anguilla.
Mollia, Sæpiæ, Polipi.
Ouipara, Moruca ſeu *Mixa*, & *Silurus*.
Viuipara, Balæna, Delphis, &c.
Domeſtica ſtantia, vt Gallinæ.
Non ſtantia, vt Anates, Columbæ.
Tranſitoria, vt Grues, Hirundines.
Aues oſcines quæ cantant pipiando, en piolant, vt Pulli gallinacei.
Cucutiendo, en criquetant, Coturnix, Quiſcula.
Modulando, fredonnant, Philomela.
Sibilando, gazoüillant, Merula, Sturnus.
Garriendo, jargonnant, Pica, Gracculus, Pſittacus.

Siluestria pulueracea, vt sunt Gallinæ indicæ, Perdices, Rostratulæ Becasses.
Aues inoscines, omniuoræ seu πάνφαγοι, aquaticæ, apodes, palmipedes, Olores, Anseres, &c. σχιζόποδες & digitatæ, Ibis, Ciconia.
Rapaces pisciuoræ, Ardea.
Carniuoræ, Accipitres, Aquilæ, Vultures.
Hactenus de Sensitiuo.

VEGETATIVVM.

EXPLICATVR per
ESSE, &
VIVERE. Animæ quippe vegetantis quæ plantis propria est, tria sunt munera;
NVTRITIO, quæ finitur transmutatio alimenti præparati in substantiam viuentis.
ACCRETIO, mutatio quâ secundum quantitatem idem numero viuens ad terminum tendit, per intus susceptionem; cujus causa efficiens præcipua, ipsum viuens: secundaria, calor naturalis; materialis, quantitas: finalis, perfecta constitutio.
GENERATIO, progressio de non esse, ad esse; seu productio viuentis à viuente, in similitudinem naturæ.

PLAN-

PLANTARVM porrò Genera quatuor.
ARBOR, Pinus, Quercus, Abies.
FRVTEX, Laurus, Liguſtum.
SVFFRVTEX, Roſmarinus, Lauendula.
HERBA SEV olus, Plantago, Borrago, Beta;
in quibus ſingulis, PARTES conſiderantur
Perpetuæ, vt radices, caudices, rami, cortices,
matrix, medullæ.
Annuæ vt flores, calices, ſemina, baccæ, ſiliquæ vmbellæ. Decidentia quoque ſunt
Excrementa, muſci, reſinæ, ſucci, gummi, lachrymæ, viſcum, cuſcuta ſeu caſſuta. In his attenditur
NASCITVRA per cultum ſeminis frugiferi, vt Pomi: infrugiferi, vt ſalicis & partium ramorum, radicis, lachrymarum, vt in inſitionibus.
AVTOMATA ſeu ſpontanea & ſine cultu, ſolâ Dei & naturæ prouidentiâ. Conſideratur deinde
QVANTITAS INTERIOR, in
Arboribus cæduis, ſucciſiuis, viminibus.
In Arbuſtis roſetis, violetis, &c.
In Oleribus repentibus, lactuca, acetoſa, &c.

QVANTITAS EXTERIOR loci; domesticæ, excultæ, spontaneæ, silvestres, peregrinæ. Temporis quo durant & protuberant, nascuntur aut plantantur. Post quantitem pensanda

MATERIA ET SAPOR. Nam
Ex tenui sicca & calida materia nascitur acer acre, vt in pipere.
Ex tenui sicca & frigida, acidus aigre, vt in limonibus & aceto.
Ex tenui aërea sed moderatè calidâ, pinguis, vt in oleo.
Ex calida & sicca sed mediocri, salsus.
Ex mediocri, terrena & aquea frigidiori, austerus qui idem crudus, viridis & acerbus, vt in omphacio ex vuis immaturis.
Ex temperata dulcis, vt in saccaro & rigalissa.
Ex crassa terrestri & deusta amarus, vt in felle.
Insipiditas græcis ἄχυμος est priuatio saporis in materia crassa, sed multo humore perfusa; cujusmodi sentitur in cucurbita, farre, &c. Tandem considerandæ est vegetatiui

QVALITAS, in forma interna secundum actionem inter se, vt caules & vinea: inter alias

vt raphanus, &c.
Secundum paſſionem in pejus, vt frumentum in lolium: in melius, vt ſecalia in frumentum.
In forma externa ſeu figura, cujuſmodi ſunt folia longa, lata, rotunda, dentata, &c.
Flores integri, ſimplices, multiplices, variegati, &c.
In ſitu, terræ adnaſcentes, adhærentes, montanæ, valloſæ, aquoſæ, arenoſæ, &c.
In Colore viridi, albo, rubeo, &c.
Siccitate vel humiditate perenni, vel annua:
Odore ſuaui, & graueolento. *Poſt vegetatiuũ*
ELEMENTATIVVM
Speciali tractatu in Philoſophia enucleant,
Elementa quatuor SIMPLICIA. Quorum
Rex aut Tyrannus,
IGNIS ſummè calidus & moderatè ſiccus: actualis in flamma & carbone, virtualis in omnibus calidis; reperiturque ſi Magiſtris placet,
In concauo Lunæ, ſine motu & paſtu.
Cum paſtu ſuper, in, intra terram.
Naturalis in foco, artificialis in ſilice, miracu-

losus in inferno.

AER summè humidus, moderatè calidus, solum enim per accidens exsiccat; quem tres regiones partiuntur, superior, media, infima, cum quatuor Ventis.

AQVA summè frigida excellenter quoque humida, salsa vel dulcis, Oceani, Mediterranea, Fontis, Riui, Fluminis, Stagni, Torrentis, Elementaris, Naturalis, Pluuialis, Artificialis.

TERRA summè sicca, moderatè frigida variè per Geographiam distributa. Alterum Elementum vocatur

COMPOSITVM, videlicet in corporibus mixtis, quorum alia imperfecta, alia perfecta, vulgo Meteora seu Impressiones; quorum principia duo,

VAPOR, halitus scilicet calidus & humidus nascens ex aquis; & EXHALATIO, calida & sicca. Vnde distinguntur Meteora ignita, lucida, humida, sicca; forma illis eadem, cum suis principijs Elementaribus; figuræ innumeræ scopæ, serpentis, jubæ expansæ & similium. His adjungi debent quæ sunt quasi me-

dia, & rerum omnium vincula; appellanturque
SEMINA, in animatis.
GERMINA, in vegetabilibus.
PRINCIPIA, & quasi rudimenta, in mineralibus; his enim velut mediæ traduces connectuntur, inter
Terram & Aquam, limus.
Aquam & Aërem, vapor.
Aërem & Ignem, exhalatio.
Ignem & Cœlum, Æther. Hæc de simplicibus. In compositis verò pariter, inter
Limum & lapides, Argilla.
Aquam & Adamantem, Cristallus.
Aquam & Metalla, hydrargirus.
Plantas & Lapides, Corallium.
Plantas & Mineralia, Argirodendron.
Terram & Plantas, fungi, boleti, tubera.
Plantas & animalia ζωόφυτα. Similiter in animatis inter
Pisces & terrestria, Amphibia.
Masculos & fœminas, hermaphroditi, seu Androgini.
Aquatica & volucres, ἰχθυόπτερα.

Aues,& reptilia,vespertilio.
Homines inter & bruta,simiæ.
Inter Animalia & Angelos Satyri, Fauni; Genij,Incubi,Succubi.
Homines inter & Angelos Deus,circuli fibula,rerum A & Ω, vniuersitatis author.Iam verò composita perfecta sunt,

LAPIDES PRETIOSI.

Diaphani & perspicui, pura Adamas, Opala, Berillus,Onix,&c.
Politi & læues, Iaspes,Turqueza, Achates, Marmor,Alabastrites,Chalcedonius,&c.
E Terra, creta, ochra, sandix, terra lemnia, amiantus, alumen rochæ, terræ carbo, lapis lidius, &c.
Ex Animalibus, Ceruinus, Taurinus, &c.
Ex Piscibus, vniones, & anonimus è capite cancrorum fluuiatilium.
E Serpentibus,bathrachides,crapaudina.
Ex minereis,sal,vitrum,ambra, campha,bitumen,calcantum,sulphur,&c.

METALLA IMPERFECTA.

Metallina,minium,lapis lazuli seu cianus,auripigmentum, arsenicum, sublimatum, lapis

calaminaris, ſpodium, flos æris, ærugo æris.
Marcaſita, pyrites, chriſites, argyrites; tot denique, quot ſpecies metallorum; quæ ſunt Aurum, Argentum, Æs, Plumbum, Stannum, Ferrum.

MIXTA SEV ARTIFICIALIA.

Electrum, ex auro & argento.
Plumbago, ex plumbo & argento.
Stannum glaciei Biſſemutum, ex plumbo & argento.
Aurichalcum, ex auro & argento.
Æs chorinthium, ex omnibus. Aut per veram tranſmutationem,
ooo in aurum; cujus materia tam incerta, quam ars ipſa nebulonibus infelix, ſpondens diuitias quas non habet, fumoſq; diuendens & cruces comparans.
Silicis in chalibem.
Ferri in Æs.
Vitri in Argentum, &c. Omnium autem

METALLORVM PRINCIPIA.

REMOTA, exhalatio & vapor.
PROXIMA, ſulphur & argentum.
RVDIMENTA, metallina & marcaſita; qui-

bus absoluũtur ea omnia quæ in Elementorum regno & imperio subjacent. Cui postremò & vltimò loco, pro Coronide superadditur,

INSTRVMENTATIVVM.

Quod quidem explicant infinitis propemodum subdiuisionibus tam Philosophia, quam moralis Theologia; definiturque accidens in alio, cui cooperatur in actione sua. Est autem multiplex

CONJVNCTVM, vt manus.
SEPARATVM, vt germen.
INTRINSECVM, vt calor naturalis.
EXTRINSECVM, vt malleus.
VNIVERSALE, vt lumen & calor solis.
PARTICVLARE, vt calamus, semẽ hominis.
NÁTVRALE necessarium, vt oculi, pedes.
ARTIFICIALE & arbitrarium, vt Angeli, Cœli, respectu Dei: equi, & boues, respectu hominis: malleus & securis, respectu artis.
MORALE, vt virtutes & vitia; quæ tum interiora, tum exteriora Ethica percenset. Atque his quidem Subjectis innituntur, licet in explicatione Artis vltimo loco reseruentur,

INTER-

INTERROGATA SEV QVÆSTIONES.

AN SIT.
QVID.
QVALE.
QVANTVM.
VNDE.
QVARE.
QVANDO.
VBI.
QVOMODO.

In quibus occurrit omnium prima Quæstio

AN SIT?

Hujus etsi rarò sit mentio, quoties tamen occurrit, subdiuiditur an sit, fuerit, futurum sit, fiat?

AN POSSIBILE?
IMPOSSIBILE?
NECESSARIVM?
CONTINGENS? Quibus respondemus affirmando, negando, dubitando, distinguendo. Estque optimum, si initio vtrũque supponatur possibile, & impossibile; nam proprius actus intellectus est intelligere, non credere: vnde id quod magis intelligitur, magis est

vero ſimilius.

QVID SIT.

Explicatur per definitionem, veſtigando in vnaquaque re, quid ſit rei in Genere & ſpecie, vt homo eſt animal rationale.

NOMINIS, tectum quaſi amplum tectum.

PERSONALE, Petrus indiuiduum naturæ humanæ.

OPERATIVVM, cognitio eſt actus intellectus.

CONTENTIVVM, dolium continet liquorem.

ITEM per diuiſionem rei ſubſtantialem in ſe, & accidentalem in alijs.

Abſolutè, reſpectiuè, & ſimilibus.

QVALE

Soluitur per explicationem qualitatis, quæ ſumitur pro omni accidente quo benè vel malè Subjectum afficitur, ſi firmiter vocatur habitus, ſi remiſsè diſpoſitio; nec ambo aliter differunt, quam puer à viro. Cujus proprietates ſunt habere contrarium, ſuſcipere magis & minus, inter diuerſa ſimilitudinem effingere. Ideoque multiplex eſt, & propemodum

infinita.
SIMBOLA, vt ignis & aër.
DISSIMBOLA, ignis & aqua.
ALTERATIONEM PRODVCENS, vt sũt quatuor primæ qualitates, caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas; Primæ quidem nuncupatæ, quia primæ inter ſenſibiles ſunt, & mixta componunt.
MOTVM GENERANS, leuitas in igne, grauitas in lapide;
PROPRIA ſiue Eſſentialis, vt riſibilitas.
Aduentitia, albedo, ſcientia.
NATVRALIS, humores in homine.
AQVISITA, Muſica, Philoſophia.
INFVSA, Fides, Charitas, Gratia gratuita, gratis data, operans, cooperans, præueniens, concomitans, ſubſequens.
ANIMI, intelligere per intellectum, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam; & artes tam liberales, quam ſeruiles.
CORPORIS, habere partes.
EXTERNA, fortunæ.
HABITVS, doctrina in præceptore.
DISPOSITIO, calor & ſiccitas in igne.

NATVRALIS POTENTIA vel IMPOTENTIA, videre in homine, non videre in lapide.
PASSIBILIS qualitas, seu passio, recipere verbi gratia in materia prima; & similia, quæ per se aliquo sensu percipi valent.
FORMA, ab intrinseco immutabilis vt rationalitas.
FIGVRA, ab extrinseco quæ variari potest, vt triangulus.
CONTRARIETAS, frigiditas calori.
COESSENTIALIS, intellectus in anima.
ACCIDENTALIS, intellectio.
CONVERTIBILIS, risibile & rationale.

QVANTVM SEV QVANTITAS.

Primum videlicet accidens quod afficit substantiam, seque tenet ex parte materiæ, vt rem faciat mensurabilem, diuisibilem, extensam per suas partes primò interiùs, in ordinem ad se: deindè exteriùs, per comparationem ad circumjacentia corpora; cujus proprietates sunt nihil agnoscere contrarium, suscipere plus & minus, non verò majus & minus, res cóstituere æquales vel inæquales. Ejus porrò partes sunt puncta copulantia in

medio, terminantia in fine. Ex punctis indiuisibilibus, lineæ: ex lineis, superficies; ex omnibus simul junctis, corpora.
Quantitas verò alia est
DISCRETA, in numeris.
CONTINVA, in lineis, cujus signū quantum.
INTERNA, in Eucharistia.
EXTERNA, in palmo.
SVBSTANTIALIS rei seu entitatiua, vt in materia prima.
ACCIDENTALIS, in corpore extenso.
MVLTITVDINIS ordinatæ, in exercitu; cujus signum quotus.
CONFVSA, in aceruo tritici, cujus signum quot.
PAR, duo, quatuor, sex.
IMPAR, vnum, tria quinque.
MVLTIPLICITATIS, in Arithmetica, quotuplex.
DISTRIBVTIONIS, in partibus, cujus signum quoties.
HOMOGENEA, in aqua.
HETEROGENEA, in hominis corpore.
MAGNITVDINIS seu molis, quæ composi-

ta est ex longitudine, latitudine, & profunditate.

VIRTVTIS, in spiritibus, quæ & simplex.

PERMANENS, in cœlo, &c.

TRANSIENS, vt tempus.

CRESCENS & decrescens, vt in subcœlestibus.

VNDE

Respondendi tres species à quo, de quo, cujus; nam Deus nec ab aliquo est, nec de quo: Angelus ab aliquo, non de quo; Corpora ab aliquo, & de aliquo.

PER demonstrationem quatuor causarum.

De quo MATERIALI, vt homo de limo terræ.

CONVERSIVO, Eucharistia de pane & vino.

EFFECTIVO, lux de Sole.

CONSTITVTIVO, homo de anima & corpore.

DERIVATIVO, riuus de fonte.

CONTENTIVO, fœtus de vtero, seruus de hero.

ORIGINALI, verbum de patre.

QVARE.

Quærit quare eſt, quare eſt hoc, quare eſt ab hoc, quare eſt de hoc, quare eſt hujus.
Reſpondetur per cauſalitates.
FORMALITER, homo vt ratione vtatur.
FINALITER, vt Deo fruatur.
NEGATIVE, ne damnetur.
ILLATIVE, vt non obediat concupiſcentijs, quarum victoria juuat ad beatitudinem obtinendam.

QVANDO

AB ÆTERNO, vt Deus.
IN ÆVO, ſeu diſcreto tempore, vt ſpiritus.
IN TEMPORE vt corpora, quæ ſunt in præterito, præſenti vel futuro; per ſæcula, annos, menſes, dies, horas, momenta, hiemem, ver, æſtatem, autumnum.

VBI

Explicatur per relationem ad locum communem ſeu moralem, proprium ſeu phiſicum, internum, externum, realem, imaginarium, naturalem, violentum, ſupra, infra, dextrorſum, ſiniſtrorſum, ante & retro; in his enim ambientis corporis ſuperficiebus res

existunt.
REPLETIVE & vbique, vt Deus.
DEFINITIVE, Angelus.
CIRCVMSCRIPTIVE, corpus.
SACRAMENTALITER, Christus in Eucharistia. Iuxta qnantitatem molis, aut virtutis.
ESSENTIALITER, anima in se.
POTESTATIVE, intellectus in anima.
OPERATIVE, intellectio in intellectu. Tam actiuè, quàm passiuè.
SVSTENTATIVE, accidens in subjecto.
COMPOSITIVE, pars in toto.
CAVSATIVE & exemplariter, vt Creaturæ in Deo.

QVOMODO, ET CVM QVO

Explicatur primò per insinuationem modi, qui ordinem & ordinis partes explicando est
ESSENTIALIS, vt Creatura à Deo.
CONTENTIVVS, communicatio diuinæ bonitatis.
OPERATIVVS, intellectus, manus.
SITVALIS, jacens, supinus, aut pronus, sedens, stans, rectus, inclinatus; Et contra.
HABITVALIS, in vestitu & ornatu diuinissimo,

simo,intrinseco,extrinseco,domestico,forensi, militari, sæculari, ecclesiastico, religioso, gentili,peregrino,splendido,sordido,togato, muliebri, senili, puerili. Illique respondetur per gerundiuum; vt quomodo Tullius euasit in perfectissimum oratorem? orando, & scribendo.

SECVNDO explicatur cum quo instrumento, juxta diuisionem allatam titulo INSRVMENTATIVVM; scilicet per instrumenta essentialia, vt homo intelligit per animam: siue per proprietates, vt ridet per risibilitatem: siue per omnia, tam Phisica, quam Moralia, examinando omnes circumstantias,

Quis,quid,vbi,quibus auxilijs,cur,quomodo,quando.

Quod iterum non multò post extendetur vberius, examinando omnes circumstantias. Nam propositis vt superius monui, de vno è nouem Subjectis, totidem Quæstionibus satisfacit orator, primo per

ABSOLVTA

BONITAS.

MAGNITVDO.

DVRATIO.

POTENTIA.
SAPIENTIA.
APPETITVS.
VIRTVS.
VERITAS.
GLORIA.

Igitur primus Terminus transcendentalis res omnes permeans, est

BONITAS.

Ens videlicet ratione cujus aliquod Subjectum est bonum, producitque bonum sibi simile, & ita bonum est aliquid esse, malum est non esse. Est igitur bonitas principium communicationis & diffusionis, idemque permanens in suo Subjecto, fluens verò in aliud per operationem. Vbi nota omnes definitiones Lullij, procedere per actum & operationem rei cujusque. Non debet autem sumi actus ille actualiter in operatione, sed virtualiter in sua potestate, vt definitio sit essentialis; verbi gratia, ignis est elementum potens producere ignem. Est igitur Bonitas

ABSOLVTA, ex integritate rei, vt Dei in se.
RESPECTIVA, per quam res alteri fit ap-

petibilis, Deus in gratia & gloria.
PERMANENS, beatitudo habitualis in Sanctis.
FLVENS, in reprobis, dum hic exercent actus bonos.
NATVRALIS, vt anima.
SVPERNATVRALIS, vt gratia, Fides, & Charitas.

MAGNITVDO ET DVRATIO
Definiuntur quomodo dicebatur mox de bonitate; deberque extendi, seu vt locuntur Artis Magistri, deduci Titulis supra explicatis.
QVANTVM, &
QVANDO.

POTESTAS
Id per quod ens, Deus, bonitas, differentia, &c. possunt esse, existere, operari; ideoque multiplex est
ESSENDI, quomodo mille mundi creari possunt.
EXISTENDI, vt Antichristus.
DESISTENDI, vt homo viuens, Synagoga.
AGENDI in igne intrinsecè, extrinsecè, intensè, extensè, remissè, mediatè, immediatè,

per ſe, per aliud, continuè, interruptè, per vices.
PATIENDI, in damnatis.
OBEDIENDI, in igne tartareo dæmones cruciante.
NATVRALIS, in aqua humectante.
VIOLENTA, in ſagitta & omnibus projectis.
AD MOTVM, circularem in cœlo, localem in deambulatione, latione, &c. progreſſiuum, in animatis.
MORALIS.
LEGITIMA, in Rege.
TYRANNICA, contra Iuſtitiam.
POLITICA, in Magiſtratibus.
ORDINARIA, in Prælato.
DELEGATA, in Vicario ſeu Legato.
SPIRITALIS, Eccleſiaſtica, ſeu Canonica in Præſule. Tandem generaliſſimè,
CORPORALIS, ſeu temporalis & Ciuilis in Iudice.
CREATA, &
INCREATA.

COGNITIO.

DIVINA.

ANGELICA, intellectualis sine discursu.
HVMANA, cum ratiocinatione.
SENSITIVA, per sẽsus externos & internos.
COELESTIS.
TERRENA, SEV ANIMALIS.
DIABOLICA.
POLITICA.
MVNDANA.
NATVRALIS, per instinctum.
AQVISITA.
INFVSA.

APPETITVS.

Id per quod omne ens, & appetit, & appetitur.
RATIONALIS, in homine.
INSENSIBILIS, seu instinctus tam in brutis quam in animatis.
MEDIVSQVE sensitiuus, de quo supra.

VIRTVS.

Facultas innata seu indita rei, quâ eliciuntur operationes illius naturæ conformes. Distinguitur autem à potestate, quia hæc principium est, illa origo, & quasi actualis fluxus facilem in agente ad operandum proprieta-

tem denotans; eſtque
NATVRALIS, in Deo.
ELEMENTARIS, in igne.
VIRTVALIS, in mixto.
SENSITIVA, in oculo.
MOTIVA, in pedibus.
VEGETATIVA, in plantis.
COELESTIS, in Aſtris.
OCCVLTÆ INFLVENTIÆ, in magnete.
OPERATIVA, patiendo & agendo.
ÆTATIS, pueri, ſenis.
SEXVS, viri, mulieris.
MEDICINALIS, in medicamentis.
ANIMALIS, in cerebro.
VITALIS, in corde.
NATVRALIS, in hepate.
ATTRACTIVA, Retentiua, Digeſtiua, Conuerſiua, Expulſiua.
Tandem quia tot reperiuntur Genera virtutum quot potentiarum, & operationum ſecundum actionem & paſſionem, virtus propriè eſt habitus humanus ad bonum inclinans, cujus altiorem conſiderationem exequitur moralis, ſeu ſcientia, ſeu Theologia;

illius Explicando
ESSENTIAM.
SVBJECTVM.
DIVISIONEM.
CAVSAM.
PROPRIETATES.
EFFECTVS. Quod idem de vitijs vittuti oppositis dicendum.

VERITAS

Vel in habitu, vel in actu.
THEOLOGICA, cujus contrarium dubium, error, schisma, hæresis, politehismus, & atheismus.
NATVRALIS, seu Physica.
ETHICA, seu Moralis, &c. quæ à Philosophis docentur per Scientiarum, quam vocant Enciclopædiam; quorum indicem fusissimum hic retexo ex nostra Enciclopædia, vel vt verius loquar, ex passiua fermè & vulgari distributione: nostra enim longè erit diuersa, magis vna, simplex, inconfusa, & concatenata; vt vno velut intuitu videatur

ORBIS, SEV
CIRCVLI SCIENTIARVM VNIVERSALE SYNTAGMA.

Hæc nimirum perſpicacibus viris celebrata toties Enciclopædia, quæ ad vnicam veritatem, de qua hic agitur, animos ducit ≋ & ≋. In qua quidem conſideratur omnis doctrina duplex.

DIVINA, SEV INSPIRATA, &
HVMANA, SEV INVENTA.

INSPIRATA EST

FIDES, in lege naturæ, Moſis, & Euangelij. A qua multiplex.

THEOLOGIA.

POSITIVA, ſacræ Scripturæ in veteri, & nouo Teſtamento.

EXEGETICA, SS. Patrum & Doctorum Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, Grecæ & Latinæ.

CATHOLICA, contra hæreſes exoletas, & Neotericas.

CANONICA, caſuum conſcientiæ, priſca ex Concilijs Generalibus, nationalibus, prouincialibus: vetus ex Iure Canonico: recens ex Sum-

Summarum collectoribus.

SCHOLASTICA disputationum; quæ tribus Summæ partibus docet Deum vnum in natura, trinum in personis, Creatorem Angelorum, mundi & hominis: Finem vltimum per virtutes Theologicas, & Morales cum directione & gratiæ auxilio acquirendum: Incarnatum, vt sit autor salutis, Sacramentorum & gloriæ.

SIMBOLICA, seu ænigmatica per imagines imaginarias, simplices, eruditas, proprias, alienas.

MISTICA, seu contemplatiua, qua Deus cognoscitur negatione, affirmatione, superemi-
nentia.

PROPHETICA, à qua DIVINATIO.

SPIRITALIS.

NATVRALIS.

ARTIFICIALIS.

DAMNATA.

SPIRITALIS

Fit

PROPRIE, vel parabolice.

VOCE interiori, vel exteriori.

RAPTV, seu Extasi.
AFFLATV.
VISIONE corporea, imaginaria & mentali; hujus imago est

NATVRALIS.

ANIMALIVM, hirundinum, formicarum.
HOMINVM, Physiognomica, Metoposcopica, Chiromantica, Phitognomica.
FVRENTIVM, Poëtarum, Vatum, Prophetarum, Bacchantium.
AMENTIVM.
DORMIENTIVM, per phantasmata, visum, & Ephialten, seu succubum: in somnijs proprijs, communibus, alienis, allegoricis, theorematicis; quorum omnium conjectura, fit

NATVRA.

LEGE.
CONSVETVDINE.
INSPIRATIONE. Hanc imitatur

ARTIFICIOSA.

ASTROLOGORVM, in anni tempestatibus.
MEDICORVM, in hominis sanitate.
CONSILIARIORVM, in statu politico.
GVBERNATORVM, in maris tempestatibus.

DAMNATA.

DÆMONVM.

MAGORVM.

Quam à dæmone hauriunt Pithiæ, ſeu Phæbades, Dodonides, Homoplatoſcopi, Obſeruatores, Aruſpices, Augures. Inſpiciendo auium volatus, cantus, Exta, Tonitrua, ſidera, ſortes, ſimbola, nomina, ſternutamenta, aurium tinnitus, oculorum ſaltus, imagines, folia, ſemina, ſpecula, genios; à quibus Necromantia, Hidromantia, Geomantia, Pyromantia, Eromantia, Chiromantia.

INVENTA SCIENTIA EST SPECVLATIVA, ET ACTVALIS.

SPECVLATIVA, triplex.

NATVRALIS, Philoſophia, ſeu Phiſiologia.

MATHEMATICA.

METAPHISICA.

ACTVALIS, item triplex.

SERMOCINALIS.

RATIONALIS.

MORALIS, de quibus ſubinde. Nam

SVB ACTVALI ſcientia jacent

SERMOCINALIS, ſeu Philologia.

RATIONALIS, seu Logica.
MORALIS, seu Ethica.

SVB SERMOCINALI.

GRAMMATICA.
POETICA.
HISTORICA.

GRAMMATICA, quæ per ethimologiam & sintaxim tradit methodum legendi, scribendi, loquendi. Docens velut Elementa LITERAS, vocales & consonantes; ex illis syllabas, atque earum combinationem. PARTES orationis DECLINABILES, nomen, pronomen, verbum, participium: INDECLINABILES aduerbium, propositiones, conjunctiones, interjectiones; cum syllabarum quantitate longâ, breui, acutâ: item cum accentu acuto, graui & circumflexo: cum vocabulorum deriuatione, compositione, genere masculino, fœminino & neutro. Cum flectione per quinque casus nominatiui, genitiui, datiui, accusatiui, vocatiui, ablatiui. Cum sintaxi in consociatione substantiui & adjectiui, nominis & verbi, per declinationes & conjugationes; cum punctis, virgulis & commatis,

alijſque diſtinctionibus ; vt legamus benè, ſcribamus rectè , loquamur propriè & purè, mox venuſtè & eleganter ; tam in linguis primordialibus Hebræa, Græca, Latina: quàm in deriuatis & ſecundarijs Gallica, Italica, Hiſpanica, &c.

POETICA , quã paulò fuſius explicabimus, non ſecus ac reliquas minoris apud nos pretij diſciplinas , quibus in Enciclopedia claſſis nulla eſt ; eſt duplex RHITMVS ET CARMEN. Rithmus eſt vel ſine metro, vel cum metro, & illo quidem multiplici ; ſcilicet in initio, medio , fine, vel alterna variatione, vt ſæpè reperiũtur apud Bernardum, Thomam Aquinatem, Bonauenturam, alioſque qui circa duodecimum ſæculum floruerunt.

CARMEN, ſeu melos, conſtans tempore & pede.

TEMPVS, eſt juſta quantitatum, vel longarum, vel breuium menſurâ. PES, eſt pars metri, ſillabarum temporibus menſurata. Pes autem duplex, ſimplex & compoſitus.

SIMPLEX, conſtans vnâ , alterâ aut tribus ſillabis. COMPOSITVS, qui vlterius excur-

rit; Ita vt formentur 124. pedes, quatuor dissillabi, trissillabi octo, tetrasillabi sexdecim, pentasillabi triginta duo, hexasillabi sexaginta quatuor; à quibus elatio, & demissio procedit, siue puri sint, ex meris longis aut brevibus: siue mixti, ex vtrisque. Inter eos insignniores Spondæus, Cōclūm. Dactilus, Ānĕlŭs. Iambicus, Părēns. Choriambicus, Nōbĭlĭtās. Pirrichius, Dĕŭs. Anapestus, Trĭnĭtās. Trochæus, Vīrgŏ. Tibrachus, Dŏmĭnŭs. A quibus carmen multiplex.

EPICVM, seu Heroïcum & Princeps, in magnis & Augustis vt Virgilius in Æneïde: Vidas vt Christiade: Baptista Hispaniolus inter Christianos Mantuanus, in Parthenicis. Nostro quoque sæculo notissimi Golminus, Sirmundus, Borbonius, alijque benemulti.

ELEGIACVM, in fletibus, nænijs &c. Princeps in hoc genere Ouidius.

LIRICVM, in doctrina, Himnis, victorijs; totus in his Pindarus, & Horatius: inter Christianos Sinesius, & Boëtius.

EPIGRAMMATICVM, in breuibus & acutis; in quibus regnant Martialis, Angelus

Politianus, Raimundus, Bencius, alijque in Bibliotheca noſtræ criticæ recenſendi.
EPIDICTICVM in laude, vel in vituperio; ſic Claudianus laudat Honorium, Stiliconem; Sannaſarius partum Virginis, Prudentius, martyras, &c.
PROTREPTICVM, in exhortationibus; quod egregiè præſtat noſtræ ætatis verus Appollo, Iacobus Faueratius, in ſuprema vectigalium Curia Senator perilluſtris.
ECLOGICVM, in familiaribus; & in iſtis Maro illuſtris.
SATIRICVM, in inuectiuis; regnat in eo Iuuenalis.
DIDASCALICVM; quo res diuinæ, naturales, morales, vel hiſtoricæ, enarrantur, cuiuſmodi Lucretius, Lucanus, Manilius Fracaſtor: & in politiſſima ſua Pædotrophia, Scæuola ille Samarthanus, quod nomen nunquam ſiue honore appellandum.
DRAMATICVM, in Comœdia, cuius Palmares Plautus & Terentius; nam Græcos hîc non attingo.
Et Tragædia, ſeu Tragicomædia, quam to-

tam ſibi vindicat Seneca; cuius partes aduentitiæ, PROLOGVS, & EPILOGVS: Naturales, PROTASIS, EPITASIS, CATASTROPHE; inter-mediæ CHORVS & Mimi. IOCOSVM carmen, vario ingeniorum luſu adinuentum; puta

ÆQVIDICVM ſeu Iſolectum, cum ſingulæ dictiones ſingulis opponuntur, vt

Anguis, Aper, Iuuenis, pereunt vi, vulnere, morſu.
Hic fremit, ille gemit, ſibilat hic moriens.

PARONOMASTICVM, cum per alliterationem Echus effingitur, vt

Dic mihi quiſnam clamor? amor: quiſnam furor? vror.

ÆNIGMATICVM ſeu logogriphicum, ſub cujus ſignificatu latet ſenſus aliquis miſticus & obſcurus, vt de homine

Quod bipes, & quadrupes foret, & tripes omnia ſolus

De niue

Mater me genuit, ſed quæ mox gignitur ex me.
Si caput eſt currit, ventrem ſuperadde volabit.
Adde pedem comedes, & ſine ventre bibes.

Hoc verſu indicatur mus, muſca, muſcatum, muſtum.

ACRO-

ACROSTICVM seu Cephalonomasticum, quando scilicet literæ capitales integrum aliquod nomen initio, in medio, vel in fine includunt. Exemplum dabo nomen, suis literis satis superque commendatum.

HENRICVS MEMMIVS.

Heroum soboles, Procerum generosa propago,
HRRICVS nostro celebratur MEMMIVS *orbe.*
Numine cœlesti concessus, ut aurea sæcla
Restituat terris, & Franci lilia regni
Illustret titulis major; quem purpura reddit
Conspicuum, & veteris spirans virtutis imago;
At Sol exoriens Stellarum lumina condit,
Sic meritis æui superat miracula nostri.
Mortalem ut vidit supremâ Numen ab arce
Natum, cunis infudit maxima Cæli
Munera, quæ maturæ exornant tempora vitæ.
Majorum nomen, præclaraque stemmata lucent.
Inde decus Themidis, mentis Constantia, Musæ
Aix alibi notæ, remanent in pectore MEMMI.
Sic fælix terris vivit, cœloque beandus.

Imo interdum etiam ipsæ dictiones, integro ejusmodi artificio includuntur.

CHRISTVS homo atque Deus, casta de Virgine natus.

VICTIMA facta poli, victima facta soli.

PRO INIVSTIS IVSTVS, pro crimine criminis expers

OFFERTVR PATRI, hæc victima quanta fuit?

Producentur mox nonnulla ejusdem stili, sed longè magis operosæ anxietatis. Sequitur enim Carmen

ANAGRAMMATICVM, quod literas nominis alicujus transponens, nouam in nomine significationem reperit. Desudarunt superioribus annis, omnes Mercurij & Apollines Gallici, dum vel Ludouico XIII. Palmas Regias in Trophæum erigunt: vel Musarum Epinicia concinentes Eminentissimo Cardinali, antiquæ & exteræ Poëseos inuidiã prouocant. Nos qui vix etiam in alieno ære diuites sumus, non vltra spicilegium audemus tentare. Audemus tamen, quia ex Tertulliani elogio, difficilium facilis venia est.

LVDOVICVS BORBONIVS REX GALLIÆ.

Anagramma.

NOVVS CÆSAR, BELLO VIGIL, DVX ORBI.

Acroſtichis.

LVDOVICVS CÆSAR
Filigerum meditata decus, dum Nominis ome
Vatis Muſa canit, liceat Rex Magne ſecund
Diuinos fatorum aditus peruadere Curſ
Optima Palladio geſſit quæ prælia mot
Victorum fortuna Ducum, licet ampla triumphi
Inferior manet illa ſuis; ſtat martius illi
Caſus, at ipſa tuæ virtus cauſa inclyta palm
Vincit, & hoſtiles debellat vbique tumultu
Sic latijs deuota fauent tua faſcibus arm
ô Nouus in Bello Cæſar, Dux peruigil orbi.

BELLOVICI REX
Bellicus ille tuus magni velut Herculis ardo
Obuia monſtra domat; teſtis Rupella ſuper
Remigio confiſa maris, tibi mille repent
Belligeræ ceſſere arces: quæque ante tribuna
Obſidibus vexata ſuis, ſtat longius exu
Numine victa tuo male fidens hæreſis Angl
Impatiens vario pacti qui fœderis aſt
Vicinos turbat populos, vafer Heſperus omn
Spe cadit, & Iuſto trepidat domus Auſtria Re
ô Nouus in Bello Cæſar, Dux peruigil orbi.

REX GALLIÆ LVDOVICVS
Regales Europa ſinus tibi pandit honor
Et ſceptris deuota tuis, nec inane tribuna
Xerxæum tentabit opus; jamque augurat illu
Gallus, & exuto ſupplex Lotharingia faſt
Arbiter in Proceres, populos ſub fœdere vinde
Legitima ditione tenes, quique auſpice cæl
Filigeræ pietatis honos præteruolat æquo
Lndigetum ſacro Heroum te deſtinat al
Aternique parat meritis monumenta triumph
ô Nouus in Bello Cæſar Dux peruigil orbi.

ARMANDVS PLESSÆVS DE RICHELIEV.

Anagramma.

EN CLARVS DIVINA OPE MINAS HÆRESIS ELVDES.

Acroſtichis.

A *uſpicijs Dux magne tuis, dum vatis ab or*
R *eddit Appollineum terris oracula Nume*
M *ultiplices condat radios tua purpura, done*
A *uguſtum liceat ſplendoris adire tribuna*
N *unc tua regali pietas ſpectabilis aul*
D *ifficiliſque ſtatu perfunctus temporis ardo*
V *ictrices referant palmas, dum Gallia plaus*
S *acra triumphales inſtaurat vbique per ara*
I *mperijs deuota tuis; tibi vindicat illu*
O *bſequium Romana fides quod neſcia fræn*
M *ſedà, iam poſito deferbuit hæreſis æſt*
N *on audita prius juſti miracula bell*
I *aturæ ſuperant leges: tibi nominis ome*
V *incit Rupella cadens, te vindice fruſtr*
S *antonico toties amens furit Anglia pont*
G *oſteritas vix credet opus; tulit æquore præce*
I *udibrium valido claſſis percuſſa trident*
V *exitioque patens proprium vix attigit orbe*
L *ic Rhea nempe ſuo ſtat victrix inſula Reg*
I *ic ſtudijs animoſa tuis ſibi Gallia nome*
A *ternamque decus peperit, ſic Regia ſceptr*
N *mmanes frænant pelagi terræque Tyranno*
A *ix benè Memphæo fortis ſub principe Ioſep*
S *uſtinuiſſet onus: nec tantæ præmia fam*
H *emeruit phrygijs moriẽs ſub mœnibus Hecto*
Æ *xtremum complexa decus tua purpura lat*
R *egales firmat titulos, meritoque rebelle*
E *ngenij portenta timent; hinc ſurgit Iber*
S *onſilijs fatalis obex, noſtrique tumultu*
I *erculeo edomito placauit dextra Leon*
S *exilio reuocata Themis tibi Maxime Præſu*
E *legibus incumbit patrijs, medioque Senat*
L *ura ferens Aſtræa tibi fatum intonat illu*
V *En ope Diuina Clarus, pietatis amor*
D *ince Minas ſtigios, Eludes Hæreſis æſtu*
E *S.*

CANCRINVM, cum per anaſtrophen ad eandem, vel diuerſam ſententiam recurritur; quale operoſiſſimum iſtud, dæmonis inuentioni tributum.

Signa te ſigna, temerè me tangis & angis:
Roma tibi ſubitò motibus ibit amor.

CENTAVRINVM, quando Carmen ex multiplici verſuum genere componitur, inchoaturque à longioribus metris & definit in breuiora, vel ſecus. Hujuſmodi artificio fabricantur verſus Geometrici in figuram oui, Piramidis, Crucis, Crucifixi, Angeli, & ſimilium. Quod inſigniter præſtitum eſt à H. Rabano Mauro, in illo præſertim labore operoſiſſimo, & verè ſtupendo, niſi deeſſet verſuum elegantia, quo Figuris ſiue Imaginibus XXVIII. multa fidei Chriſtianæ miſteria, multi miſtici numeri Angelorum, Virtutum, VII. donorum Spiritus ſancti, VIII. Beatitudinum, IV. Elementorum, Temporum anni, Euangeliſtarum, Agni, Meſium, ventorum, librorum Moïſis, nominis Adam, Alleluya, & Amen; aliarumque rerum vis & dignitas in formam crucis redacta, ſubtiliter & ingeniosè explicantur. Exemplum ſelegi non quidem operoſiſſimum, ſed tipis mandari, vt opinor, facillimum. Crux eſt Apoſtolorum Elogijs dilaudata.

XXVII. Figura. De Apostolorum dictis ex eadem re in nouo testamento.

Necminus ergotuacu	s toditi uracacter
Rite noui teſtament	i etpiamunerapandit
Quaedeus altushomo	d iuinusdetulitorbi
Per tecruxſacr avot	o venerandafreqenti
Promiſumconplense	t veraxdogmatavatum
Sedominumteſtansl	e gisveterisq:nouaeq:
Quigemi nummundopa	t everbofecitabyſum
Noshilaratactusat	i ansyotoanteriores
Quiſolabaturveracx	b onusomnibusaequus
Vndeqeapoſtolicus	i uſtaperfaminafida
Almatropaeatuaſer	m ocruxlaudatvbique
Princepsorbeſonat	e ximopectorepetrus
Taliterenlaudesfa	t upiusoptimedicens
Eſtfra- -iſt: p	r ovobisſtipitepaſſ:
Exem lumtradens cl	a rumveſtigiaqodvos
Eiuspergatiscuius	ſ acravulneraſanant
Hincredoaccipiat	o ranti sfaminaieſus
Sidonisuseietſibo	*n*
Ipſequiamitisnonſ	o rdem:muneraharecei
Aſtiacobushincnos	b ortatnrfaminepur.o
Exemplumponenschr	i ſtumdefineelaborum
Hincq:monetſcriben	s alt:duxoreiohannes
Caſtusamormaneate	i ſobriavotaſerenet
Ieſusvteſtpaſſusd	e votepropteramorem
Sicnosmentepiasoc	i opatiamuramorehic
Ieſumpertypicumpi	e verumpſallitieſum
Iudasductoremetpe	ſ ſumfidisetiniquis
Pauxillumhaudpaul	u sorauitteme tinore
Cruxſacracumdixit	s eiamneſcireloq:lam
Teſineneclaudemſc	i tedareſaucib:vllam
Incaelisterrismag	n umpertartaranomen
Teproptercriſtiſp	o ndetſatritcvalere
Sicetapoſtolic:lau	d atconcorditerordo
Vatibusantiqiscon	i ungiscunctarapina
Paſſioſanctapieie	s uperſaeculacriſti

VERSVVM SERIES.

NEc minus ergo taa custodit jura caracter
Ritè noui testamenti: & pia munera pandit,
Quæ Deus altus homo diuinus detulit orbi.
Per te Crux sacra voto veneranda frequenti
Promissum complens, & verax dogmata vatum:
Se Dominum testans legis veterisque, nouæque:
Qui geminum mundo pate verbo fecit abyssum.
Nos hilarat actu satians voto anteriores,
Qui solabatur verax, bonus, omnibus æquus.
Vnde Apostolicus justa per famina fida,
Alma trophæa tua sermo Crux laudat vbique.
Princeps orbe sonat ex imo pectore Petrus
Taliter en laudes fatu pius, optime dicens:
Est frater Christus pro vobis stipite passus,
Exemplum tradens clarum, vestigia quòd vos
Ejus pergatis, cujus sacra vulnera sanant.
Hinc credo accipiant orantis famina Hiesus,
Sidonisus ei, & si bonos artem ibit & odis:
Ipse quia mitis, non sordent munera hæc ei.
Ast Iacobus hinc nos hortatur famine puro:
Exemplum ponens Christum de fine laborum.
Hincq; monet scribens altus dux ore Iohannes:
Castus amor maneat, & sobria vota serenet
Hiesus, vt est passus deuotè propter amorem:
Sic nos mente pia socio patiamur amore; hic
Hiesum per typicum piè verum psallit Iesum.
Iudas ductorem, & pessum fidis & iniquis:
Pauxillum haud Paulus orauit, temet in ore
Crux sacra cum dixit, se jam nescire loquelam,
Te sine nec laudem scire dare faucibus vllam.
In cælis, terris magnum per tartara nomen,
Te propter Christi spondet sat ritè valere.
Sic & Apostolicus laudat concorditer ordo,
Vatibus antiquis conjungis cuncta rapina.
Passio sancta pie Iesu per secula Christi.

Affine eſt Carmen PROTEICVM, cujuſmodi vidimus olim ad Diuam Foienſem nō procul Dinanto, inter Leodienſes. Nēpe vt R.R. P.P. Societatis Ieſu, fontes habent ſicut pietatis ſic & eruditionis, ex illis Bernardus Bāhuſius Carmen edidit hocce titulo illuſtre. PROTHEVM PARTHENICVM, vnius libri verſus, vnius verſus liber; ſtellarum numero, ſiue formis centum viginti duabus.

Tot tibi ſunt dotes Virgo, quot ſidera Cælo.

Extat ſimul cum commentariolo Latiniſſimi Fricii Puteani & Iuſti Lipſij ſucceſſoris, verſus de Chriſti Seruatore.

Rex, Dux, Sol, lex, lux, fons, ſpes, pax, mons, petra Chriſtus.

Qui quidem nomen verſus ita meretur, vt incredibili artificio verti queat tricies, ſexcies, centies, millies, & octingenties. Ego certè credere malim, quám experiri.

CENTONICVM, interpolatum ex vnius Poëtæ vel plurium verſibus, hinc inde con-
» geſtis. Vnde Tertull. de præſcript. Home-
» rocentones vocari ſolent, qui de Carmini-
» bus Homeri propria opera more centona-
rio,

» rio, ex multis inde compositis in vnum
farciunt corpus. Fusiori stilo Ausonius arti-
ficium sic depingit; varijs de locis, sensibus
» diuersis, quædam carminis structura solida-
» tur, in vnum versum vt coëant aut cæsi duo,
» aut vnus & sequens cum medio. Nam duos
» iunctim locare ineptum est, & tres vna se-
» rie meræ nugæ. Diffinduntur autem per cæ-
» suras omnes, quas recipit versus Heroïcus.
» Sensus diuersi vt congruant, adoptiua quæ
» sunt, vt cognata videantur, aliena ne inter-
» luceant, accersita ne vim redarguant, ha-
» sa ne supra modum protuberent, hiulcas
pateant. Nostro æuo vt de veteribus taceam,
celebre fuit Vaticinium Virgilianum F. Sam-
marthani (quod nomen Musis amicissimum)
de expeditione Rupellana, quam credas re-
uera à Marone descriptam. Inter Palmas quo-
que Regias assurgit, Publij Maronis Proso-
popœïa pro vrbe Mantua; quæ inter cætera
Regem Inuictissimum sic depingit.

--- Rege incolumi mens omnibus vna est.
Qui regere imperio populos, indicere bella,
----Tutari Italiam, deffendere finibus hostem,

Siue animo, siue arte valet----
Hesperiam metiri, & debellare superbos.

Vix tamen quispiam assecutus est Capilupo-rum in Italia, mirabilem cõcinnitatem; cujus gustum accipe precationem ad B. V. Mariam, de tumultibus Gallicis.

Dum te nunc solio stellantis Regia Cæli
Accipit, æternumque tenet per sæcula nomen;
Hinc geminas nunc flecte acies, terrasque iacentes
Gallorum, & longè salus lateque patentes.
Aspice; nunc suppex venio, miserere tuorum, &c.

PARÆMIVM, incipit omnes dictiones ab eadem licera, vt

Flos fueram factus, florem fortuna fefellit;
Florentem florem florida Flora fleat.
Res, Regnum, Reges recta ratione reguntur.

SERPENTINVM, seu Epanalepticum, cum eadem dictio versum incipit & absoluit, vt

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

ALPHABETICVM, quando singuli versus abs literis alphabeti seriatim incipiunt. Quo ordine decurrunt Ieremiæ Lamentationes, & apud Vatem purpureum Psalmus cẽtesimus

decimus octauus. Nos optimo, si materiam spectes, exemplo ejusmodi versus conati sumus imitari, in laudem viri profecto nunquam satis laudati.

ELOGIVM ALPHABETICVM
in laudem Petri Seguieri Franciciæ Cancellarij.

Admiranda mihi referens mea Musa laborat
Blandiloquos formare modos, cui concinit omnis
Castalidum chorus, atque inspirat carmina Phœbus
Debita; quò SEGVIERE *tuũ super æthera nomen*
Extollam, seruusque nepos post sæcula longè
Felicibus votis antiquum numen adoret.
Gentis honos primæ nascentis limina vitæ
Heroum titulis ornat, meritisque Parentum
Illustres spargit radios; fortuna deinceps
Karam suscipiens sobolem, & cunabula circum
Lilia depingens, venturos signat honores.
Mox puerum casto complexa est pectore virtus,
Nutriuit pietas, docuit Prudentia mentem,
Obsequiumque fides, animum constantia, mores
Patrum Relligio, ac veteris reuerentia cultus

Quid loquar Aſcræas dotes, ſacraria Montis
Reclusa Aönij? Themidis quid munera ſumma,
Supremoſque apices, quos Gallica purpura veſtit?
Talibus auſpicijs toto ſpectalibis orbe
Viue diu, legum Cuſtos virtutis & æqui.

METATHETICVM, cum in vna dictione per literarum tranſpoſitionem variatur dictionis ſignificatio, vt

Roma, Mora, amor, Maro, oram,

PARALELLVM, ſeu correlatiuum, vt

Muſicus, orator, vates, trahis, allicis, imples,
Saxa, animos, cælos, voce, Lepore, modis.

Alio rerum modo Antitheticum, vt

Nunc { *bonus* / *malus* } *in mundo* { *triſtatur* / *lætatur* } *& aſtra* { *Capeſcit.* / *Relinquit.* }

Qu { *os* { *anguis* / *ſanguis* } *di* / *mi* } *rus* { *triſti* / *Chriſti* } { *mulce* / *dulce* } *dine* { *pauit.* / *lauit.* }

Qui { capit ambroſiam / caret ambroſia } *Chriſti* { capit ille ſalutem. / caret ille ſalute. }

In ſequenti correlatiuo longè vt prolixior, ſic operioſior,

Cœna, ſacramentum, panis, communio, ſanguis,
Vltima, diuinum, viuus, ſanctiſſima, chriſti,
Viuificat, donat, confortat, deprimit, auget,
Mentem, ſolamen, mortales, crimen, amorem,
Lætificat, ſpernit, concludit, pandit, adunat,
Moeſtos, elatos, infernum, ſidera, amantem,
Roborat, exaltat, nutrit, dilatat, opimat,
Infirmos, humiles, pietatem, pectora, fructu,
Coniungit, ſolidat, ducit, dulceſcit, opacat,
Credentes, dubios, errantes, mentibus, umbra.

MONOSILLABVM, frequens in Autore, »qui iſtud Technopaignion non inutiliter »vocat, ocij inutile opuſculum; quod non »mireris, ſed paucis literis additis eius miſe»rearis, neque æmulari velis. Per omnia vagatur monoſillaba; pauca hæc laborioſiſſima ſufficient in exemplum,

RES *hominũ fragiles alit, & regit & perimit* SORS.
SORS *dubia, æternũq; labans quã blãda fouet* SPES.
SPES *nullo finita æuo, cui terminus eſt* MORS.
MORS *auida infernâ mergit caligine quam* NOX.
NOX *obitum vicem remeauerit aurea cum* LVX.

LVX *dono conceſſa Deûm, cui præuius eſt* SOL.
SOL *cui nec furto Veneris latet armipotens* MARS.
MARS *nullo de Patre ſat⁹ quẽ Treſſa colit* GENS. &c.

COMMIXTVM, ex Græco & Latino idiomate, habet idem Auſonius.

Ἑλλαδίχῃς μετέχων μύσης *lætitiæque Camœnæ,*
Ἄξιος Αὐσόνι& *ſermone alludo bilingui, &c.*

SIMPHONIACVM ſeu Philomelinum, ex ſuaui & artificioſa vocum aliquot, verſibus comprehenſarum repetitione; vt in illa verba Cantici Canticorum, Tota pulchra es amica mea; (*pulchrum*

Sunt pulchræ SILVÆ, *ſunt pulchra* NVMISMATA,
Eſt pratum, in viridi GRAMINE *pulchra ſolo.*
Sunt pulchræ GEMMÆ, *ſunt* ASTRA & STEMMATA *pulchra:*
Sunt pulchri FLORES, *eſt quoque pulchra* DIES.
Pulchrior es SILVIS mea ſponſa, NVMISMATE PRATO
GRAMINE, GEMMA, ASTRO, STEMMATE, FLORE, DIE.

PARODICVM, quod fit ad imitationem alterius, vt

Diſcite juſtitiam colere, & non temnere Reges.

Vel per aliud metri genus; quomodo pulchrè Horatium imitatur non semel Boëtius ille Romanorum, & Eruditorum vltimus. Dabo ex lib. 3. consolat. Prosæ 5. Metrum 5.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces;
Nec victa libidine colla,
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longè
Tellus tua jura tremiscat,
Et seruiat vltima Thule:
Tamen atras pellere Curas,
Miserasque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

MNEMONICVM, ad juuãdam memoriam; vt septem vitia, Superbiam, Auaritiam, Luxuriam, Inuidiam, Gulam, Iram, Acediam, versus vnus comprehendit.

Vt mortem vites, semper SALIGIA *vites.*

Extat simile opus, quo omnia Sacrorum Bibliorum capita comprehenduntur; SPECIMEN ERIT.

APOSTOLORVM HISTORIA SIC INDICATA.

1 Eligitur Mathias. 2 factus est de cœlo. 3 Claudus. 4 Communia. 5 Ananiæ. 6 Diaconi eliguntur. 7 Stephanus.

Sortẽ. sonus. salit. omnia. fraus. septem. lapidatur.

8 baptisat Eunuchum. 9 Conuertitur. 10 submititur. 11 circuncisi contra Petrum. 12 misit manus vt afflige-ret.

Philippus. Saulus. vas. disceptant. & Herodes.

13 dixit Paulus Elimæ. 14 obtulerunt Paulo & Barnabæ. 15 neque nos portare potuimus, neq; patres. 16 exiuit à Pitonissa. 17 prædicabat Paulus.

Cæcus eris. tauroque. jugum. spes. quæstus. Athenis.

18 pertulerunt ante tribunal. 19 seditionem mouet. 20 juuenis qui ceciderat è fenestra. 21 ligat Paulum. 22 cædit Paulus.

Soſtenem. Ephesij. rediuiuus. Zona. Flagellis.

23 Et nepos Pauli. 24 audiet Paulum. 25 venit Ierusalem. 26 loquitur Paulo. 27 nauis & animæ euaserunt. 28 venit Paulus.

Iudex. Fœlix. Festus. Agrippaque. nauffraga. Romam.

LEONINVM seu Æquiuocum, in quo rithmicè contrariant initium & finis, vel etiam medium, vt

Hunc dominus ditat, qui sedulus otia vitat.
Ne scribam vanum, duc mihi Christe manum.

Quæ omnia Carminum genera efficiunt versus

ſus diuerſi, præcipuè verò à pedibus dicti,

HEXAMETER.

Crēſcĭt ă | mōr nūm | mī, qu̯ān | tum īpsă pĕ | cūnĭă | crēſcīt.

PENTAMETER.

Nēc vŏlŏ | qūod cŭpĭ | at, | nēc vŏlŏ | quōd săpĭ | at.

IAMBICVS, monometer purus, Dĕŭs pŏtēns ternarius, quaternarius, &c. vſque ad octonarium. Fătī | jŭbēs | tăcē | rĕ quæ | ſuādĕt | mĕtŭs.

TROCHAÏCVS, præcedenti affinis, vnius metri, Chrīſtĕ | sānctĕ. Dimeter. Sæcŭ | lī bĕ | ātŭs | āuthŏr.

PHALESIVS, qui & à numero ſillabarum, hendecaſillabus. Vītām | quæ făcĭ | unt bĕ | ātĭ | ōrēm.

DACTILICVS, dactilis conſtans duobus, vel pluribus, pāngĭtĕ | cārmĭnă | Pāndĭtŭr | īntĕrĕ | ā dŏmŭs.

SPONDAÏCVS, ex meris ſpondæis, Sīt Chrī | ſtūs Rēx | Cœlī | jūdĕx | ōrbīs. Ex vtriuſque mixtura fit.

GLICONICVS, Sīc sīc | ītŭr ăd | āſtrā.

Vel HIPERCATALECTVS, cum redundat ſillaba, nē dŭbĭ | tā nām | vēră fī | des.

SAPPHICVS, Iſtĕ | cōnfĕſ | ſōr Dŏmĭ | ni ſă | crātūs.

Itavt poſt tres Sapphicos adnectatur.

ADONICVS, Scāndĕrĕ | Cœlī.

ANAPÆSTICVS ſeu Partheniacus, ferè con-

ſtans anapæſtis, paucis interdum ſpondæis & dactilis cum ſit impurus, Tĭbĭ lāus | sĭt ĕt ōm | nĭs hŏ nŏr | păter.

CHORIAMBICVS, oritur ex Societate Choræi & Iambi. Prōtĕ | gĕ nōs | ōmnĭ | pŏtēn | tĕ dēx | tĕrā.

ASCLEPIADEVS, Mæcæ | nās ătăuīs | ēdītĕ Rĕ | gĭbŭs.

Qui verſus ſi in Carmine, ſeu Poëmate ſemper ſimiles ſint vno genere metri, Carmen illud vocatur

SIMPLEX ET MONOCOLON; ſeu Aſtrophon ſi variè miſceantur, COMPOSITVM; & quidem multiplex, dicolon, tricolon, policolon; ideſt duobus, tribus, pluribus metri generibus conſtans. Quo præſertim modo conficiuntur

ODÆ DICOLÆ, tricolæ; quæ ſi poſt ſecundum admittunt iterationem, vocantur diſtrophæ: ſi poſt tertium triſtrophæ. In eis partes ſunt STROPHA, ET ANTISTROPHA; EPODOS, ſubſequitur. Atque hujus quidem Poëmatij, non illuſtriora exempla laudare par eſt, quam quæ Muſarum ſicut & ſacrorum Pontifex Maximus, ſtilo apibus ſuis ſanè digniſſimo, mellitiſſimè concinnauit. Labor

fuiſſet in delectu, niſi præoptaſſem Elogium Sancti Ludouici, quaſi publicum & immortale fœdus Maphæi olim Cardinalis, nunc verò Vrbani VIII. cum Galliarum Regno, hîc veluti gemmam interſerere.

DE SANCTO LVDOVICO REGE GALLIARVM.

ODE.

STROPHE I. VERS. XII.

OBjectu gemini maris,
Illinc Pyrenes, arduis hinc Alpium
Præcincta muris; ingenio ſoli,
Fluxuque diues fluminum;
Fortium turmis equitum verenda,
Heroum genitrix Gallia, bellicis
Fecunda palmis: inclyta Regibus,
Quos longâ ſerie dedit
Priſci Capetij genus:
Vt inter omnes thure LVDOVICVS
Cultus, & aris,
Cæleſti radiat vinctus diademate frontem!

Antistrophe 1. Versuum XII.

Quas dudum mea parturit
Mens feta laudes, Regis educ optimi
In lucis oras, Aonij lyra
Sonora cantus obstetrix.
An piæ primum studium Parentis
Formandi puerum moribus integris,
Doctæque raris Palladis artibus;
An celsæ decus indolis
Dircæis celebrem modis?
En blanda prodis Comitas, Pudórque
I[illegible] oris
Majestas ac forma, decens & Gratia linguæ.

Epodus 1. Versuum IX.

Non me tamen moremini:
Plectrum prouocat aureum
Pulchriùs fulgens teneris ab annis
Laus parta bello. Iactet Alcidæ manu
Infantis enectos colubros
Fícto Græcia plausu.
Vt primùm nituit murice regio
Heros gloria Sequanæ,
Impuber armis comprimit rebelles.

Strophe 11. Verſuum x11.

Aſt ætas vbi firmior
Acceſſit, omnis abſtinens culpæ, Deo
Deuota jungit pectora, dotibus
Virtutis auctus: commoda
Vrbium curat: ſtudioſus æqui
Regum delicias ſpernit, & otium
Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit,
Prauoſque pœnæ corrigit timore.
Sic populorum
Munit amore latus, nõ enſe, aut militis haſtis.

Antiſtrophe 11. Verſuum x11.

Horti pulchra per areas,
Hinc inde transfert candidum Virgo pedem,
Quà mira florum pompa recluditur:
Seu quos dedit Britannia,
Vel Tagi potor, Sporadúmve cultor,
Mox volues, oculos, vndique conſpicit,
Et hæret anceps, quem ſibi deligat:
Illic floret amaracus,
Hîc albet breue lilium,
Floreſque pandunt aduenæ decorem:

Denique ſerta
Omnibus illa roſæ Pæſtanum prætulit oſtrum.

Epodus II. Verſuum IX.

Florem tibi quem ſeligam?
Te ſceptro potior Fides,
Alme Rex, clarat; Themis, & ſorores,
Pietaſque majus adferunt tibi jubar,
Gemmata quàm veſtis, vel aurum:
At quæ clarior aſtri
Naſcentis radijs fulſit, & in tuo
Fulget corde, rapit ſacrâ
flagrans Caritas canentem.

Strophe III. Verſuum XII.

Hæc te neſtare Cælitum
Paſcit, Deique nunc beat præſentiâ:
Hæc una quondam, dum tuus induit
Caduca membra ſpiritus,
Se tibi junxit comitem; viæque
Index, te Superûm cœtibus addidit.
Hinc liberali ſpargis opes manu,
Siue Altaria conſtruis;
Seu ſacras reficis Domos,
Ades vel ægris, vel juuas egenos;
Hac duce bellum

Suſcipis, & mortis jaculis caput obijcis vltrò.

Antiſtrophe III. Verſuum XII.

Vrbis nam Solymæ vicem
Dolens, vt impiam opprimas tyrannidem,
Pacata Regni linquis, & horridis
Armis petens Peluſium,
Trajcis textis trabibus phalanges,
Quà ſeptemgemino cærula flumine
Nilus colorat: mœnia vix quatis
Arcis, cùm ſubitus fores
Recludit pauor hoſtium;
Mox victor agmen militum patentes
Ducis in agros,
Hoſtileſque acies geminatâ clade trucidas.

Epodus III. Verſuum IX.

Spes ſæpè quò propinquior
Arridet, celeri fugâ
Exitus cœptis adimit ſecundos.
Inuadit, eheu! te lues, & Celticas
Infeſta vis morbi, fameſque
Vexat dira cohortes.
Illinc flumen aquis, hoſticus hinc furor
Denſo circuit agmine:
Pugnatur; atrox fœdat arua cædes.

Strophe IV. Versuum XII.

Victum gloria non minor
Te sequitur, Heros magne, quàm cùm vinceres.
Constans recusas Martis ab aleâ
Lembo per amnem subtrahi.
Vna nos omnes, eademque pugnæ
Sors, inquis, maneat.. Vos ego deseram?
Regemque vestrum me fuga polluet?
Captiuo tibi quas minas,
Quæve opprobria barbarus
Infert Tyrannus? sæua quot tuorum
Funera cernis?
Tu tamen immotus CHRISTO *spem ponis in vno.*

Antistrophe IV. Versuum XII.

Natantes animos fide
Firmas, jacentes erigis. Quid, ais, cadit
Spes vestra? curas pellite lugubres:
Probat Deus quos diligit:
Hos & educit memor è periclis.
Olim quæ populus pertulit Israël?
Hæc ipsa tellus testis: ad inuium
Rubri dum pelagi fretum
Vrgebat Pharao ferox
Equis & armis; obsequens repentè

Scin-

Scinditur æquor,
Erectisque vagæ lapïdescunt mœnibus vndæ.

Epodus IV. Versuum IX.

Electa siccis transilit
Gens plantis: mare sæuiens
Defluit rursus: rapit insecutum
Ducem procellis, & quadrigas obruit.
Sic fatus, haud exspes tueris
Flexo poplite Cælum.
Lux ô Christiadum maxima Principum,
Heros inclyte, qui, tui
Æquent honorem carceris, triumphi?

Strophe V. Versuum XII.

Dat dirus tibi Mempheos
Pœnas Tyrannus. En suorum concidit
Ferro peremptus, sertaque laurea
Mutat cupressi frondibus:
Tuque dimissus, redimensque captos,
Oppressosque graui seruitij jugo,
Appellis Aces littoribus ratem.
Hîc te Christicolæ tenent,
Vt sis certa cadentium
Tutela rerum: haud te trahunt paterni
Commoda Regni,

Nec Genitricis amor, Procerum nec vota preceſque.

Antiſtrophe v. Verſuum XII.

Non eſt, quæ premat acrior
Te cura, quàm CHRISTI *ſuperbos frangere*
Hoſtes, & almo Nomine, gentium
Delere cultus impios.
Nec pium belli ſtudium remittis,
Donec te Libye ſanguine diffluens
Palmâ potitum, corporis exui
Arctis nexibus adſpicit.
Nunc ô verticis Incola
[illegible], audi quas preces decorum
Pallida vultum
Religio mœrens lacrymis tibi fundit obortis.

Epodus v. Verſuum IX.

Inuicte Rex, en Gallia
Iuncta eſt rurſus Iberiæ
Sanguinis vinclis: animos, & arma
Fac jungat arctum fœdus. Heu! quot conficit
Europa ſe diſcors in oris?
Squalet Punica tellus:
Te deuincta vocat Græcia compede,
Iordanes vocat, & ſacrum
CHRISTI *Sepulchrum vindicem moratur.*

At num Gallos decet hostimentum pro Inuictissimo Principe suo Ludouico, tanto Apolline non indignum rependere? Enimverò in magnis quia voluisse sat est, tentasse apud Beatissimum Patrem crimen non erit, veniam tamen præfatus.

SANCTISSIMO
DOMINO D. NOSTRO,
VRBANO
PONTIFICI MAXIMO
PRO GALLICIS EIVS
EPINICIIS.

Et Poësi Christianâ.

AVGVSTA Poëtices disciplina, VRBANO PONTIFEX MAXIME, jam olim vindicat sibi quidquid est in orbe Religiosum. Neq; enim alio vnquam dicendi genere, vel Dij cum hominibus, vel homines cum Deo sunt colloquuti: Vt credatur de facili,

ſuos Diuinitatem ſplendores, vel occuluiſſe ſub ejuſmodi fabularum inuolucris, ad ſuam noſtrique reuerentiam: vel muſicis incluſiſſe numeris, vt ſibi mortalium animos grata modulatione conciliaret. Priſca certè Theologia non alijs quam Poëtarum vmbris, ſua apud Nationes miſteria delineauit. Fluxerunt deinceps ab eodem fonte Sapientum oracula, legum ſanctiones, Morum præcepta, Status & Πολιτεία Imperiorum. Quidquod noſtra quoque Chriſtianorum Schola, quæ Tertulliani genio ac ſtilo tota ad rudem [illegible]audamque auſteritatem Sectatores ſuos effingit; adeo non abhorret à Poëtarum delicijs, vt tota vtriuſq; Inſtrumẽti pagina Muſarum amœnitate efflorеſcat. Sed ecce noſtro æuo teſtimonium omni exceptione majus, ſacra illa Poëſis, quâ diuinam ſcientiam prophanis manibus velut impiâ contagione maculatam, non aliter quam Pontificiâ apotheoſi, ſuo honori priſtinæque ſanctitati reſtituiſti.

Tandem ad omnium ſtuporem, Muſæ induerunt peplum Euangelicæ caſtitatis: vnuſ-

que inueniſti feliciſſimo ingenij miraculo, quonam fœdere Poëſis fieret Chriſtiana: nec tamen elegans, acuta, polita, ſuis demum omnibus numeris abſoluta qualis tua eſt, eſſe deſineret. Præcucurrerunt in eo ſtadio, ſeruatâ inſularum faſciumque Majeſtate (vt de Græcis neoteriſque hoc loco nihil attingam) Paulinus & Proſperus in Aquitania, Fortunatus inter Pictones, Sidonius in Aluernia, Fauſtus in Gallia, Boëtius in Italia, Rabanus in Germania, Prudentius & Iuuencus in Hiſpania; atque ante omnes in ſede Romana-Catholica, Damaſus ille vrbis & orbis Romani Maximus. Verum audacter dicam, & citra omnem adulationis ſuſpicionem, vnus poſt omnes palmam præripuiſti vniuerſis. Adeoque ſequentibus ſpes imitandi adempta eſt, vt obſcurum carmen non alio hic fine adumbrarim, quam vt veſtri ſolis radios noſtra inofuſcatio in majori, ac meliori lumine collocaret.

ODE DICOL.

LONGÈ prophani nomen Apollinis
Injuriosum Cœlitibus, procul
Fatalis Heroum potestas,
Mæonij simulachra vatis.
VRBANE magnum Romulidum decus,
Totius orbis Christiadum caput:
Quem sponte procliues adorant,
Conspicui pietate Reges.
Quacunque mundi parte refulserit
Lux solis, ardens ingenij jubar
Pellit laborantis Mineruæ,
Auspicio tenebras beato.
Nuper fauentis gratia Nominis,
Sublime Gallis intonuit melos:
Heröis instaurans triumphos,
Et meritum renouans honorem.
O quanta sacri gloria Principis!
Quæ fama justis parta laboribus,
Dignos triumphali Thiara
Sancte refers Lodoice plausus?

Olim beatis ſedula manibus,
Sacros honores Roma dicauerat:
Nunc rurſus VRBANI fauore
Pontificis, ſociantur aſtris.
Ex quo recenti Muſa volumine,
Exuberantes mentis opes tulit,
Europa conceſſas Mineruæ
Fertur ouans rapuiſſe palmas.
Illas perennes exuuias, tuis
Appendit vltrò Gallia faſcibus:
Fatalis augendo vicißim,
Promeriti titulos honoris.
Nullus ſecundos Numinis impetus
Spirare ſacris Carminibus neget;
Cedant Palatini lepores,
Et veterum monumenta Vatum.
Quicquid Platonis fabula venditet,
Hæſiſſe linguæ Cecropias apes:
Hunc cæca mentitur vetuſtas,
Eloquium meruiſſe Diuûm.
Vtrumque pignus, Maxime Præſulum,
Diuinus in te conciliat fauor;
Examen Hyblæum quieuit
Stemmatibus, pariterque labris.

Hinc fortiores Hercule Gallico
Nactus catenas, eloquij truces
In jura compellis Sicambros,
Inque feras dominaris aures.
His fretus armis jurgia Principum,
Martisque sæuos comprimis impetus:
His victor, accensos serenas
Imperijs hominum furores.
Quas BARBERINI Nominis insulas,
Aut Gentis almæ Nobilitas parit;
Sublimat Ascræis amicum
Nurinibus, super astra nomen.
Quamuis auitâ Stirpe decentius,
Tollas propinquum sideribus caput;
Diuina commendat potestas,
Patritios Generis decores.
Hæc Christianis jura fidelibus,
Cæli supremis nutibus asserit:
Hâc tutus & liber Sacerdos,
Thuriferis operatur aris.
Hâc veritatis prouidus arbiter,
Sincera terris dogmata vindicas;
Dum sæuus infames Alastor,
Exagitat sceleris ministros.

Dum

Dum præpotentis jus anathematis,
Deuota diris pectora fulminat:
Dum ſacra Majeſtas, prophanos
Hæreſeon reſecat tumultus.
Quò ſanctitatis gloria peruolat,
Stipant ouantis munera Pallados;
Vnâque conſpirant trophæis,
Ingenitas cumulare dotes.
Seu Galliarum Regibus intonas,
Teſtes amoris Pieridum modos:
Aut ære commendas perenni,
Egregiæ monumenta laudis.
Hic vena ſenſus explicat entheos,
Phœbique gaudens officijs amor,
Teſtatur affectus paternos,
Atque pij ſtudium Parentis.
Hæc liliorum fœdera publicis,
Signata faſtis exitio carent;
Hoc pignus exundans amoris
Nulla tui, violabit ætas.
Ne gratioſi muneris immemor,
VRBANITATIS Gallia vixerit;
Tantos remetiri fauores,
Neſtoreum ſataget per ævum.

Noſcant ſupremum ſæcula Præſulem,
Franci columnam Nomïnis, & pios
Senſiſſe Gallorum trïumphos,
Auſoniæ columen Thyaræ.
Cunctis tremendos Numine viuido
Vultus adorans Gallia, poſteris
Hæc vouit VRBANI Parentis,
Atque ſacræ ſtudioſa Sedis.
Gratantis ergo vota Poëſeos,
Quæ ſponte Gallus parturit, excipe;
Cultuſque præmeſſum coronet,
Obſequij melioris omen.

Eodem animi calamique decurſu, nec omnino præter extreuâ propoſitum, ſequentia adnectere pretium duximus.

ANAGRAMMATA.

VRBANVS OCTAVVS

PONTIFEX MAXIMVS.

ORBIS APEX VNCTVS, FAX OMNIVM VATVM.

NVNC IVSTO' SVM ORBIS APEX, FAX VATVM.

VNICVS ORBIS APEX, NVM STO FAX VATVM?

VNCTVS APEX, FAX VATVM OMNIBVS ERIS.

AVCTVS ORBIS APEX, TV ES FAX OMNIVM.

ORBIS APEX, FAX VATVM, CVSTOS OVIVM.

Inclytus, Illustris, Vigil, Eminet, Emicat, Instat,
Orbis Apex, Fax Vatum & Christi Pastor Ouilis.

Inclitus Illustris Vigil
Eminet Emicat Instat
Orbis Apex, Fax Vatum, Christi Pastor Ouilis.

Poësim ita paulo fusius explicatam (materia enim est amœnitatis plenissima) subsequitur methodo fusius alibi dilatatâ.

HISTORICA, docens res gestas scribendo, legendo, narrando, interpretando, judicando. Estque in vera narratione, aut fabulosa, à qua Mythologica; in vtraque notat res, personas, causas, effectus, loca, modum, tempus, materiam, instrumenta, consilia, euentus, &c. in quibus vitanda adulatio, & odium; ne quid falsi dicat, ne quid veri non audeat. Historia vero multiplex.

DIVINA, ET HVMANA.

DIVINO-HVMANA, SEV SACRA, in lege Naturæ, Mosis, Euangelij, Ecclesiastica, & Monastica.

PROPHANA, vetus & noua: extera & domestica.

CHRONOLOGICA, per diuersas æras quas notant v. g. Creatio mundi: Diluuium: Monarchiæ Assiriorum, Medorum, Græcorum, Romanorum: Imperium Constantini, Caroli Magni, S. Ludouici, Ludouici XIII. Aut melius per singula quæque sæcula.

NATVRALIS Botanica, Plantarum.

ICTIOGRAPHICA, Piscium.

ORNITHOLOGICA, Auium.

ZOOGRAPHICA, Animalium.

SVB RATIONALI.

RHETORICA.

DIALECTICA.

LOGICA.

RHETORICA, quæ docet ornatè dicere tropis, figuris, voce & geſtu; de quibus abundè in ATRIO vulgaris Eloquentiæ.

DIALECTICA, quæ modum tradit benè differendi ſimplicia inueniendo, complexa diſponendo; examinando voces æquiuocas, analogas, vniuocas, ſubjecta, prædicata, copulas, enunciationes, antecedens, conſequens, nexum vtriuſque, oppoſita, relata, diſparata, contradictoria, priuantia, paria, majora, minoria, ſimilia, diſſimilia, conjugata, partes, totum, definitionem, diuiſionem, &c. quæ Lulliano artificio ſupra latius extenduntur.

LOGICA adhuc contractior, & rebus magis inſiſtens tres dirigit mentis operationes; apprehenſionem, judicium, ratiocinationem. Verum ſecernit à falſo, affirmado & negando, conficiendo ſyllogiſmum abſolutum, vel

hipotheticum, constantem materiâ & formâ, in modo & figurâ triplici; cum refutatione fallaciarum. Veritatem demõstrando à priori, vel posteriori, cum METHODO inuentionis, quæ fit sensu, obseruatione, experiẽtiâ, inductione, & doctrinæ, cujus industriâ traduntur disciplinæ, respiciendo cujusque finem, objectum, subjectum, partes præcipuas: attendendo ordinem, collocationem, antecessionem, consecutionem. Generale enim præcedit speciale, corporeum, spiritale, notum ignotius, simplex compositum. Est insuper

COMPOSITIVA, quæ considerat subjectum per affectiones, species, &c.

RESOLVTIVA secus, rimatur finem, subjectum, media; quæ quidem Logica propriè vtens dicenda est, tum cum in omnibus artibus, scientijs, & disciplinis reperitur; veram id circo formans eloquentiam, quâ de in Sanctuario alibi misterijs velato.

SVB MORALI, SEV ETHICA

Continentur

ARETICA,

OECONOMICA,

POLITICA.

ARETICA, præſcribit finem vltimum, ſeu beatitudinem Philoſophis Moralem, Chriſtianis ſupernaturalem; quam ac e- re debet homo per media proportionata, quæ ſunt vitiorum fuga, & cultura virtutum. Per fugam enim voluntas recedit à malo, accedit ad bonum veluti ad proprium objectum per virtutem, quæ habitus eſt cum rectâ ratione electiuus. Cujus quidem habitus conſiderat

PRINCIPIA.

PROPRIETATES.

EFFECTVS.

GRADVS.

SPECIES.

PRINCIPIA, Deum, Chriſtum, gratiam, Sacramenta, hominis ſindereſim, bonam indolem, & probam educationem.

PROPRIETATES, vt in ſe ſit bona, bonum faciat poſſidentem, ſit aurea mediocritas inter duo vitia extremè oppoſita, ſibi inuicem cóncatenentur.

EFFECTVS, hominem dirigere ad Deum, per religionem: in se, per virtutes monasticas: erga proximum, per societatem, seu familiarem, seu ciuilem.
GRADVS, qui sunt inchoatus, proficiens, perfectus, heroïcus.
SPECIES, DIRIGENS, vt prudentia: DIRECTA, vt pietas: VNIVERSALIS, vt Iustitia: SPECIALIS, vt eleemosina, modestia, &c. MODERANS, passiones, quæ vndecim locantur in parte irascibili, & concupiscibili (cum tamen vna amoris sufficiat, vt alibi probabitur) vt fortitudo in aduersis, moderatio in prosperis, temperantia in cupiditatibus, sobrietas in esu & potu, castitas in venereis: in sermone veracitas, discretio, taciturnitas, in gestu modestia, in diuitijs liberalitas, in conuersatione mansuetudo, & ciuilitas, &c. Quas summatim complectuntur quatuor Cardinales,
PRVDENTIA.
FORTITVDO.
TEMPERANTIA.
IVSTITIA, distributiua, quæ seruat medium propor-

proportionis Geometricæ, in honoribus, præmijs, & pænis: & commutatiua, seruans proportionem Arithmeticam in venditione, emptione, contractibus, &c.

OECONOMICA, quæ docet felicitatem familiæ, illiusque acquirendæ, conseruandæ & amplificandæ modum. Dirigitque SOCIETATEM in familiâ conjugalem, viri & vxoris: patriam, parentum & liberorum: herilem, domini & Seruorum. ACQVISITIONEM justam & prudentem bonorum mobilium, & immobilium; quæ fit Georgicâ, Armentariâ, Mercaturâ, Officiariâ, Mechanicâ, Vigilantiâ, Parsimoniâ; & eorum omnium vsu moderato.

POLITICA, quæ hominem instruit, vt sit felix prudentiâ Ciuili; dirigitque idcirco RES, tam naturales puta aërem, aquam, regionem, vicinos, hostes, confœderatos, &c. quam artificiales domos, nummos, bellum, pacem, inducias, &c. PERSONAS, principes, magistratus, ciues, plebem, viros, mulieres, seruos, &c. STATVM, SEV FORMAM Reipublicæ BONAM, Monarchiam, Aristo-

cratiam, Rempublicam. MALAM, Tirannidem, Oligarchiam, Democratiam; Ex quibus conflatur RESPVBLICA.

In his ſpectatur patriæ, ſeu Reipublicæ, Ciuitatis & familiarum fundatio, ordinatio, adminiſtratio, conſeruatio, defenſio; juxta, leges, edicta, judicia, ſententias, canones Eccleſiaſticos, reſcripta, plebiſcita, res, hipothecas, teſtamenta, poſſeſſiones, venditiones, contractus, cæteraſque normas quas præſcribit complectiturque

IVS LEGISLATIVVM.

Quod quidem à Theologis, Ethicis & Iuriſperitis cenſetur multiplex.

ÆTERNVM, lex nimirum idæalis, quâ ſtatuit ab æterno Deus, mundum in temporis articulo condendum inuiolabili ordine gubernare; cui ſubeſt quidquid Deus non eſt.

DIVINVM, lex duplex VETVS & NOVA; illa velut ſemen, iſta velut fructus maturitate perfectus. Prior à Deo lata Moſis miniſterio, quem idcirco Angelum ſeu mediatorem Scripturæ appellant. Poſterior Euangelica, gratiæ & libertatis inſtituta à Chriſto Chri-

ſtianorum Legifero, cui ſimilis nemo in Legiſlatoribus.

NATVRALE, Impreſſio ſcilicet in tabulis humani cordis, & participatio legis æternæ, per quam homo ſimilis autori ſuo, ſibi cæteriſque cum juſtitiâ & moderamine prouidēs eſt; quam nulla delet iniquitas, nulla obliuio poteſt obliterare. Suntque prima rationis dictamina è quibus nemo tam vecors eſt aut barbarus, quin per ſindereſin & inſtinctum naturæ, practicas concluſiones elicere queat. Quæ concluſiones quia ſæpius vt fit, aberrando variant dum ad particularia deſcendunt; quæ ſolemni omnium populorum conſenſione receptæ ſunt vocantur

IVS GENTIVM. E quo deriuatur

IVS HVMANVM, poſitiuum duplex; CIVILE & SACERDOTALE. Cum enim Reſpublicæ omnes his duobus membris præcipuè conſtent, populo & ſacrificatoribus: leges quæ ciuitatum reginæ meritò appellantur, ſingulorum munia præſcribere debent vt vigeat pietas erga Deum, ſocietas inter homines, virtutum cultura, vitiorum extirpatio

partim propoſitis præmijs, partim pœnarum metu. Hinc ſingulis Nationibus ſui Legiſlatores; Perſis Zoroaſtres, Chartaginenſibus Charondas, Schitis Zamolxis, Siculis Plato, Lacædemonijs Licurgus, Athenienſibus Solon, Gallis Druidæ; ipſis quoquè Tartaris impius Mahumetes, cæteſique omnes qui autoritatem legum ferendarum, aliquo ſemper diuinitatis afflatu, vel conſilio ſunt ementiti. Atenim ex quo Romani rerum Domini toto orbe potiti ſunt, prævaluit vbique IVS ROMANVM, nunc vt olim, Chriſtiano more bifariàm diſtributum;

CIVILE ſeu politicum & Cæſareum. Nam cum ciuitate exoriente populus in certis legibus ageret, omnia nutu Regis gubernabantur. Poſtea verò cum Romulus omnem populum in tres Tribus, Tribus autem in triginta Curias, Curias in decurias diuiſiſſet; quaſdam etiam leges tulit, quas idcirco CVRIATAS appellauit. Tulerunt & alij deinceps Reges, quas omnes Papirius collegit in vnum volumen; quod à Collectore, IVS PAPINIANVM nuncupatum eſt. Exactis vero

Regibus, lege Tribunitiâ jus illud exoleuit: & ne Ciuitas ſine legibus peſſum iret, jam viginti annorum interſtitio multum labefactata, decem vel ex nonnullorum relatione, tres-viri à Senatu Romano Athenas legati, leges à Solone & Lycurgo latas, Romam attulere: & eas Senatoriâ authoritate jureque abſolutiſſimo correctas & emendatas, tabulis eburneis pro Roſtris promulgarunt. Additis inſuper duabus tabulis, quæ ad Ciuitatis regimen, & pacem neceſſariæ videbantur; Hinc DVODECIM TABVLARVM IVS, authoritas & nomen inualuit.

Atverò cum his legibus ſubobſcuris interpretatio deſideraretur, dareturque vt plurimum ſine ſcripto; Ius iſtud poſtea in corpus compoſitum, CIVILE denominatur. Ex quo mox legis actiones quæ formam agendi continent, natæ ſunt & ortæ; quas ne Populus pro libito inuerteret, ſolemnes & certas eſſe voluerunt. Igitur ex his TRIBVS, tabulis nimirum, interpretationibus, & formulis jus Ciuile conſtabat. Atque omnium legum authoritas & interpretandi ſcientia, juriſque

actiones penes Pontifices religiosissimè asseruabãtur. Deindè cum à Cneo Flauio qui à secretis Appio Claudio erat, hæ actiones Populo fuissent traditæ; liber iste juris FLAVIANI, nomen accepit. Nec multo post Sextus Ælius alias quoque leges composuit, quibus juris ÆLII, cognomen appositum est. Tandem plebs à Patribus dissidens, jus sibi proprium constituit, seu PLEBISCITA, quod vim legis postea obtinuit. Opposuerunt ex aduerso Senatores SENATVSCONSVLTA, quibus vim, & audaciam populi reprimerent.

Vltimò demum jus HONORARIVM dicta sunt Magistratuum, seu Prætorum Edicta; quæ cum multum hominum inuidiæ, & libidini permitterent; annuos enim Magistratus annua Edicta sequebantur, lege Corneliâ sub Adriano Imperatore, in Edictum perpetuum transierunt. At successu temporis à Labeonianis, Sabeanis, Proculianis fuerunt tam copiosè interpretata, vt librorum numerus ad duo millia excreuerit; quæ tempore Iustiniani & deinceps contractæ in vnum cor-

pus,quatuor Tomis continentur.In PRIMO extat index generalis omnium Titulorum. Lib. 4. Institutionum. Digestorum seu Pandectarum libri 50. In SECVNDO extant Codicis libri 12. In TERTIO Nouellæ Imperatorum,& Canones Apostolici.In QVARTO, feudorum consuetudines. Porro materia quæ in jure tractatur est DVPLEX,absoluta & relata. Ius ABSOLVTVM est de HOMINE vel solitarie, vel ciuiliter seu politice: de REBVS primò corporalibus, siue mobiles sint, vt vestis, liber, nummus: siue immobiles vel soli, velut prædia, vel solo hærentes, vt fructus: deinde de rebus quæ tangi nequeunt, siue quantitates sint, vt valor nummi,ponderis & mensuræ æstimatio:siue qualitates, vt dominium, possessio. Ius RELATVM locum habet in litibus & judicijs;queis partes sunt, Personæ tum Principales, vt Iudex & litigantes: tum accessoriæ,vt Aduocati,Procuratores,Scribæ,Apparitores.Et Quæstiones, quæ controuersiæ sunt, vel in facto, vel in jure. Hactenus de Iure Ciuili, seu Cæsareo. Iam verò

IVS CANONICVM, seu Pontificium duobus libris comprehenditur. DECRETO, & DECRETALIBVS. Illud sic compositum est à Gratiano Sancti Proculi Monacho, vt omnes Pontificum, Patrum & conciliorum decisiones, quæ Canones dicebantur & regulæ, dispersas vnum in corpus collegerit circa annum Christi 1151. tempore Eugenij III. & in tres partes distribuerit. PRIMA continet pugnatium decretorum DISTINCTIONES; nam discrepantes inter se Patrum, Pontificum, Conciliorumque Canones & sententias, adhibitis 101. DISTINCTIONIBVS conciliat, quarum vnaquæque suos habet Canones seu capitula, paragraphos & versiculos. SECVNDA pars CAVSARVM Nomen obtinuit, quod ex illis eliciantur quæstiones vnde de rebus disputatur. TERTIA pars est de CONSECRATIONE. Decretum quod non aliam vim, quam ex authoris sui nomine vindicat. Secuntur

DECRETALES; summorum scilicet Pontificum Epistolæ, quarum PRIMA pars abs Raimundo,

Raimundo, jussu Gregorij IX. in corpus vnũ redacta est, & in 5. libros distincta. SECVNDA, Sextus vocatur suppletus à Bonifacio VIII. & ad prioris normam compositus, sequè habet ad Decretales, vt Nouellæ ad Codicem. TERTIA pars à Ioan. 22. constituta, duas partes cõplectitur; CLEMENTINAS, à Clemente V. conscriptas, & ab Ioanne denuò promulgatas; & EXTRAVAGANTES, sic dictas quod sint extra corpus juris, non secus ac Nouellæ Imperatorum constitutiones, cõsuetudinibus feudalibus additæ sunt. Atque ita Decretum respondet Codici, Decretales Institutis, Nouellis Sextus, & aliæ decretales; tandem ijs constitutionibus quas Imperatores Iustiniano posteriores ediderunt, Bullarium. Habent autem juris Pontifices sua Simbola, v. g. C. idest Codex. I. Institutiones. N. Nouellæ. E. Edicta. N. I. Nouellæ Iustiniani. L. N. Leonis Nouellæ. C.I. Constitutiones Imperiales. F. Feudorum consuetudines. C. Capitulum, seu centesima in Distinctionibus. D. distinctio. ff. digest. seu Pandectæ. §. paragraphus. Q. quæstio. L. lex.

vel quinquageſima in Diſtinctionibus Titulus ; ſimileſque characteres POLITICÆ famulantur

MECHANICÆ.

Artes & diſciplinæ,ab alijs aliter recenſitæ & diſtributæ in neceſſarias,vtiles, & delectabiles, quæ ſequenti ſerie, vt ſe offerent conſiderabuntur.

POLEMICA,militiæ vmbratilis & legitimæ; quæ conſtat viris, & armis. Inter viros cenſetur DVX; in duce debet eſſe ſcientia bellica, fortitudo, authoritas, peritia, felicitas.

MILES, eques, & pedes: turba reliqua cuiuſmodi ſunt Fabri, Tubicines, Lixæ, & Calones.

ARMORVM, alia ſunt offenſiua, alia defenſiua, in bello barbaro, extero, ciuili: in prælio Nauali,Campeſtri, Obſidionali.

AGRICVLTVRA, agnoſcit Principia, ſolem,aquam,terram: finem,vtilitatem,& voluptatem;ſiue ſit naturalis, campeſtris, collina, montana: ſiue artificialis ad ſpeciem, & fructum;Conſideratis cœlo,ſolo,tempore,& inſtrumentis. Subnectitur

Paſtio, &
Venatio; Ruralis, Silueſtris.
Auiaria.
Piſcatoria.

ARCHITECTVRA, quæ ordine diſponit & collocat ſtructuram ædificij ſacri, prophani, publici, domeſtici, Regij, plebeij, per Icnographiam, Orthographiam, Scenographiam, Eurithmiam, Symmetriam, Artificio Ionico, Dorico, Corinthio; ſpectata, vtilitate, firmitate, venuſtate; Cui adjungitur

PICTVRA, adjuuante Perſpectiua, per dimenſionem pedis, vnciolæ, minutæ; per normam ſtantem, & baſim, finitionem per organum, cujus partes ſunt horizon, radius, perpendiculum, &c. per delineationem, proportionem, colorum mixturas, vmbras, &c.

Ciuili etiam deſeruiunt THEATRICA; continés SENICOS, Hipocritas, Comædos, Tragædos, Mimos, Cantores, vt ſunt Cytharædi, Cythariſtæ: Tibicines, vt ſunt Chironomi, Choragi, & Saltatio quadruplex Cordax, ſincinia, Emmelia, Pirrichia. GLADIATORES, qui ſunt Retiarij, Scutores, Thraces, Samni-

tes, Hippomachi, Dimachæri, Mirmiliones, Aridarij, Probatores, Orbelæ, Equeſtres, Eſſedarij, Velites, Laqueari, in quibus erudiunt Laniſtæ. GIMNICOS, qui ſunt Stadiodromi, Dolicodromi, Pugiles, Paleſtritæ, Pancratiaſtæ, Sciomachi, Xiſtici. AGITATORES, qui ſunt Ruſſati, Albani, Praſini, Aurati, Lutei, Purpurei, Deſultores, Aurigæ, Bigarij, Veneti. COQVINARIA, victui enim inſeruiũt, hamiotæ, macellarij, ſtabularij, vinarij, popinarij, conditores, piſcatores, cupediarij, caupones, farrores, paſtores, piſtores, toſtores, vrinatores, ſalſamentarij, condimentarij, lactarij, medicamentarij, & ſimiles.
FABRILIS, fabri tignarij, ferrarij, monetales, gemmarij, fornicarij, argentarij, cæmentarij, carbonarij, lapidarij, loricarij, cultrarij, vaſcularij, vehicularij, vitrarij, & ſimiles.
SOMATICA, Corpori enim inſeruiunt Mediaſtini, Libitinarij, Balnearij, Mangones, Coronatores, Deſignatores, Aliptæ, pædotribæ, Coſmetæ, præficæ, probolæ, pigmentarij, funerarij, Ciniſlones.
LANIFICA, & qui lanam tractant lanarij,

fullones, patagiarij, reticularij, plumarij, cerdones, ſeritarij, textores, interpolatores, flammearij, molochinarij, polimitarij, linternes, netrices, phrigiones, infectores, ſutores, & ſimiles.

GRAPHICA, nam ſcripturæ inſeruiunt notarij, exceptores, ſcrinarij, ſcribarij, pragmatici, librarij, &c.

NAVTICA, Gubernatores, Remiges, Proretæ, Nauarchi, Epibatæ, vectores, naucleri, ſentinarij, naupegij, &c.

STABVLARIA, equis & mulis ſtratores, muliones, ſtabularij, agaſones, equiſones, curſores, ciſiarij, proxenetæ.

MERCATVRA, rei nummariæ & mercibus, Nummularij, negotiatores, argentarij, cellibiſtæ, inſtitores, trapeſitæ, probolæ. Præcipuè vero venditioni præcones, ſectores, coactores, venatilitiarij; ſubſunt igitur artes mechanicæ illuſtriores ſeptem.

AGRICVLTVRA.

VENATIO.

NAVIGATIO.

LANIFICIVM.

FABRICÆ.

ARCHITECTVRA.

MEDICINA; melius Philosophiæ infra adnectenda; vt alijs aliæ pro libito & arbitrio cujusque.

MORALEM

SEQVITVR THEORETICA

TRIPLEX.

PHYSIOLOGIA.

MATHEMATICA.

METAPHYSICA.

PHYSIOLOGIA duplex

DOGMATICA &

CHIMICA.

Dogmaticæ partes sunt, speculari res in materia, & cum materia concreatas, seu corpus omne naturale.

Primo quidem PRINCIPIA, per se, remota Deum & Cœlum: propinqua communia tria materiam, formam, priuationem: particula-

ria, semen & calorem; cum modo productionis, siue sit creatio, siue generatio, quibus additur conseruatio.

Deinde CAVSAS QVATVOR: materialem, formalem, efficientem, finalem: vna cum concausis, instrumento, exemplari, arte, &c. quæ sunt principia externa. Tandem principia primis illis annexa, puta

LOCVM.

MOTVM.

VACVVM.

INFINITVM.

TEMPVS.

CONTINVVM.

MOTORES. Itemque

PRINCIPIIS orta sempiterna, fluxa, cœlestia, terrestria, simplicia.

Cœlum de quo in Astrologia.

ELEMENTA, ignem, aërem, aquam, terram; cum singulorum, natura & proprietatibus, rerum ortum & interitum.

MIXTA, seu composita, imperfecta, vt metheora, quorum considerantur causæ, materia, locus, species, proprietates, significata.

PERFE-

PERFECTA, vt lapides & metalla; & hæc quidem inanimata; de quibus Paulo post.

ANIMATA, vero quadrifariâm.

VEGETATIVA, vt planta.

SENSITIVA, immobilia, vt zoophita.

LOCO MOTIVA, vt juménta, aues.

RATIONABILIA, vt homo; de quibus supra distinctis titulis. Atenim verior & secretior Philosophia est, ALCHIMIA infausto jam nomine odiosa, & prauo sophistarum vsu infamis;

Cujus præcipuæ partes sunt,

CHRYSOPÆIA.

ARGIROPÆIA.

MAGIA naturalis, de quibus mox in Medicina. Nam vbi Philosophia desinit, ibi incipit subordinata illi triplex

MEDICINA.

EMPIRICA, quæ sola experientia vtitur.

METHODICA, constituens tria duntaxat morborum genera, astrictum, fluens, & mixtum.

DOGMATICA, tam speculatiua, quam practica.

THEORICA, considerat naturam physiologicam, causas ætiologicas, procatarticas, id est præuertentes, prœugmenas id est antecedentes, synecticas id est continentes: Signa simioticè presentium discernicula, futurorum præsaga, præteritorum memoratiua.
PRACTICA prophilactica, id est conseruãs: Therapeutica, id est curans: Diætica, Gerocomica, Analiptice, Cosmetica, Pharmaceutica, Chirurgica. Vtriusque partes præcipuæ duæ ὑγιεινὴ, & θεραπευτικὴ. Illa sanitatem tuetur diæta diateretica, quæ sanitatem firmat & prophilactrice quæ deflexionem in morbos præuertit. Ista restituit sanitas autem cõsistit in eucrasia, id est in proportione qualitatum: in diaplasi, id est partium simmetria in quantitate & figuratione: tandem in constructione partium ratione situs & nexus inter se. Sanitatem destruit ametria seu discrasia simplex aut composita, particularis aut vniuersalis quam corrigit remedij vis agendi in quantitate, qualitate & mixtione. Medicinæ pars

SECRETIOR PHISICA.

Quæ Corpora mixta naturalia dissoluere, dissoluta que coagulare docet; Ejusque Schola natura est, quæ perpetua generatione & corruptione totum in partes resolúens; non tamen operatur nisi virtutes illius intrinsecæ ab agente naturali, aut artificiali juuentur. Porro

HERMETICÆ PHILOSOPHIÆ PRINCIPIA SVNT

MERCVRIVS.

SVLPHVR.

SAL, quæ defœcanda, vt suauius agere valeant; cum vbiq; hæc principia reperiantur.

MERCVRIVS, nihil est aliud quam acidus ille liquor æthereus, omnia permeans subtilitate & puritate sua, vitam omni Enti conferens, sensum, & motum; vnde spiritus dicitur, Sal armoniacum, idæa informans, mouens intelligentia, intellectus glorioſus.

SVLPHVR, est balsamum dulce & oleaginosum, naturalem calorem conseruans, alias vitrum dulce, anima, &c.

SAL, corpus illud siccum & salsum, quo mixta à corruptione seruantur, alias Reſche &

amarum, corpus, materia, ars, &c.
Alia duo corpora, quæ communiter caput mortuum, aut damnata terra & phlegma insipidum dicuntur, non sunt principia, sed principiorum indumenta, thecæ aut excrementa. Prima operatio Chimiæ est

RESOLVTIO

Quæ fit Calcinatione, aut
Extractione.

CALCINATIO est mixti reductio in Calcem, id est in puluerem subtilissimum, qui fit vel
Ignitione, vel
Corrosione.

CORROSIONIS, species quatuor.
1. Amalgamatio.
2. Præcipitatio.
3. Stratificatio.
4. Fumigatio.

IGNITIONIS, species duæ.
1. Cinefactio.
2. Reuerberatio hujusque affinis est

DESICCATIO.

EXTRACTIO, quæ separat partes subtilio-

à corporibus mixtis & crassioribus, hoc-
que
ASCENSIONE, & DESCENSIONE. As-
censio fit
1. Sublimatione.
2. Distillatione.
3. Rectificatione.
Descensio vero fit
1. Filtratione.
2. Deficientia, siue deliquio.

PER INTERMEDIVM FIT

1. Digestione, quæ etiam alias maceratio dicitur.
2. Putrefactione, quæ quia vt plurimum mense vno peragitur, liquor quo imbuitur menstrua dicitur.
3. Circulatione cum putrefit deinceps liquor agitatione; hucque pertinet
FERMENTATIO, qua rei natura exaltatur, actiuus calor immutans virtute sua in propriam naturam, quod passiuum erat.
Altera hujus scientiæ pars est

COAGVLATIO.

Quæ liquido humore sublato, solida facit;
idque

1. EXALTATIONE, cum humor expirat.
2. DECOCTIONE.
3. CONGELATIONE.
4. FIXATIONE.

EFFECTVS CHIMIÆ SVNT.

1. AQVÆ florum.
2. AQVÆ, fortes & cauſticæ; in quibus corroſiores ſunt ſtygiæ, & quæ aurum regale diſſoluunt, alias, des deux champions.
3. SPIRITVS, qui ſunt oleum, vel aquæ pro prædominanti qualitate: qui ex humano ſánguine exprimitur inter animalia excellit, qui ex vino inter vegetantia, qui ex vitriolo inter mineralia.
4. OLEI ſpecies, mediæ inter ignis & aq[illegible]is naturam.
5. TINCTVRÆ liquidæ, quæ colores ſunt qualitatibus, aut eſſentiæ rerum adhærentes.
6. BALSAMI genera, id eſt, olea addenſata, & compoſita ex aliarum rerum mixtione.
7. EXTRACTA, ſiue ſuccus animalium, & vegetabilium.
8. TINCTVRÆ molles, liquidis ſolidiores.
9. FLORES, vt Sal, quod ex omni re extrahitur.

10. MAGISTERIA, quæ partes homogeneas eleuant, exterioribus impuritatibus dumtaxat rejectis.

11. SOLIDÆ tincturæ, aut panacæa.

12. QVINTESSENTIÆ, alias, Cœlum, Elixir.

Hic aduertendum metalla duas veluti naturas habere contrarias; nam, verbi causa, ferrum in suo manifesto calidum, & siccum est: In occulto frigidum, & humidum; quod de omnibus verum est, quæ his nominibus celam logodædali.

PLVMBVM, Saturnus.

STANNVM, Iupiter.

AVRVM, Sol.

FERRVM, & calibs, Mars.

CVPRVM, Venus.

ARGENTVM viuum, Mercurius.

ARGENTVM, Luna.

NATVRALEM SCIENTIAM EXCIPIT.

MATHEMATICA.

PVRA, & IMPVRA. Illa speculatiua, hæc practica adjungit sibi operationes aliquas; ideoque ferè omnes Mathematicæ partes

mixtæ ſunt.

SPECVLATIVA, conſtat

1. PRINCIPIIS, in quibus DEFINITIONES, ſeu ſuppoſitiones & hipotheſes, quę vocabula declarant: POSTVLATA, ſeu petitiones, vt determinationes fiant

AXIOMATA, & receptæ ſententiæ.

2. PROPOSITIONIBVS, in quibus PROBLEMA, docens conſtructionem, ſeu ædificationem rei quæſitæ in propoſitione. THEOREMA, eſt demonſtratio examinans proprietatem rei conſtructæ: LEMMA, problema, ſeu Theorema propoſitioni prærequiſitum, antequam ad præcipuam ejus demonſtrationem deueniatur. COROLLARIVM, conſequentia deducta ex præcedenti propoſitione: SCHOLIA, adnotatio in aliquam propoſitionem.

Mathematicæ puræ quæ contemplatur abſtractam à materia quantitatem, ſubſunt

ARITHMETICA.

GEOMETRIA.

MVSICA.

COSMOGRAPHIA.

ARITH-

ARITHMETICA.

Scientia videlicet quantitatis discretæ, seu numerorum parium & imparium, æqualium & inæqualium; quos artificiosè computare docet quinque modis; NVMERATIONE, ADDITIONE, SVBSTRACTIONE, MVLTIPLICATIONE, DIVISIONE; considerans numeros integros, fractos, numeroruni proportiones & radices. Quibus additur Algebra, Algorithmus, & Rabdologia; cum Arithmetica practica, quæ reducit nummos, mensuras liquidas & solidas, monetas, &c.

GEOMETRIA.

Docens artem recte metiendi, inspicit quantitatem continuam in LINICOMETRIA, mensurans lineas in longitudine, latitudine, & profunditate. PLANIMETRIA, mensurans superficies planas, conuexas, concauas, mixtas. STEREOMETRIA, quæ est corporum solidorum; in quibus omnibus respicit figuras Geometricas lineationem, planum, solidum, piramidalem, cubum, sphæram, &c. In his

Punctum à quo linea recta, jacens, erecta,

conjungens, diameter, baſis, &c.
Angulus planus, intrinſecus, extrinſecus, egrediens, contingentiæ, incidentiæ, rectus, acutus, obtuſus, ſolidus.
Figura plana, circularis, in qua peripheria, diameter, ſemicirculus, ſinus, rectus, verſus.
Rectilinea trium, aut quatuor angulorum, Iſoceles, Scalena, Iſopleurus, &c. Porro Geometriæ OPERATIONES fiunt propoſitione alicujus PROBLEMATIS, aut Theorematis: conſtructione ſeu ædificatione duorum PARALLELOGRAMMATVM: EXPOSITIONE, ſeu explicatione horum duorum Parallelogrammatum: DEMONSTRATIONE & determinatione, ſeu affirmatione duorum Parallelogrammatum: PROBATIONE, & examine propoſitionis; & CONCLVSIONE.

MVSICA.

Quaſi potiſſima Muſarum inuentrio, ſtatuitur duplex;
Naturalis, & Artificialis.

NATVRALIS.

ARCHETIPA.

DIVINA.
MVNDANA.
COELESTIS.
ELEMENTARIS.
HVMANA.
ARTIFICIALIS.

METRICA, eadem nimirum cum Poëtica; quæ menſuram & melodiam quandam obſeruat in verſuum conſtructione, & ordinatione.

RITHMICA, quæ oritur ex numeris connumeratis, dinumeratis, complicatis, ſeſquatis: diſcerniturque viſu in ſaltatione, auditu in cantu, tactu in chordis. Partes habens tempora, pedes, mutationes. Atque naſcens ex hac HARMONICA; ſeu Canonica tam THEORICA, quam PRACTICA, VOCALIS, INSTRVMENTALIS, & ex vtriſque CONFLATA; & ea quidem multiplex.

VETVS, cujus tria genera memorantur. DIATONICVM, ita tonis abundans, vt per tonum & tonum, & ſemitonium procedatur.

ENHARMONICVM, è contra quod per minima interualla procedit, per diæſim & diæ-

ſim, & ditonum. Inter vtrumque mediat CHROMATICVM, conſtans mediocribus interuallis, pura ſemitonijs. Quæ tria comparant nonnulli velut bonum, melius, optimũ. NOVA noſtro hocce æuo vſitata SINTONA eſt; & ex præcedentibus varie conflata à multis creditur. Conſideratque & cantando decurrit,

SONORVM poteſtates, vt agnoſcat & dirigat vocem altam, infimam, grauem, acutam, &c. aſcendendo & deſcendendo per gradus ſeu voces, ſex, vt, re, mi, fa, ſol, la.

SPATIORVM differentias, ſeu ſiſtemata quæ ſonos eliciunt ex organo, cithara, monochordo, &c. per tempora, & modos.

TONOS, ſeu conſonantiæ proportiones, id-eſt diſſimilium inter ſe vocum ex acuto, & graui, per ſuperius, contra, tenorem, & baſſum, in vnum redactam concordiam. Vnde definitur TONVS major, ſeu minor, planus ſonus, & legitima ſpatij quantitas, ſub diſtinctione duarum vocum, quæ per ſe intonantur. Ab hoc tantillum recedit SEMITONVS, ſpatium videlicet imperfectum duarum vo-

cum quæ ſint immediatæ, dum vox velut media hæret inter vtramque aſcendendo, & deſcendendo. Subſeruiunt

DIÆSIS, id eſt ſemitoni minoris dimidium.

COMMA.

Per hos igitur tonos majores & minores, ſiue quindecim, ſiue duodecim numerentur; nempe per dorium, hipodorium, lidium, &c. Et ſemitonos cum eorum aſſumptione, deductione, diſiuncta, tranſmutatione, mixtura & vſu, variæ fiunt conſonantiæ, ſeu harmoniæ & ſimphoniæ muſicales; quas inter inſigniores ſunt.

VNISONANTIA, cum per octo generales tonos planus cantus deducitur.

DISCANTVS, quæ conſonantia eſt diuerſi & variati cantus, per

DIAPENTE, quæ in ſeſqui altera proportione conſiſtit, vt trium ad duo.

DIATESSARON, ex ſeſquitertia, vt 4. ad 3.

DIAPASON, ex dupla, vt duorum ad vnum, quatuor ad duo, octo ad quatuor; qui modi rurſus inter ſe mixti, replicati & complicati efficiunt diſdiapente, diſdiapaſon; Ea autem

mixtura ſumitur ex proportione, quæ duplex eſt

SESQVI altera major, vt ſex & quatuor: & SESQVI tertia minor, vt quatuor & tria; attendendo in vno quoque tono, tam regulari, quam irregulari, velut principia quædam, tertiam, quartam, ſextam, & octauam. Ex quibus conficitur præclara illa Muſica hominum in terris, Angelorum in cœlis, nobile illud Triſagion decantantium. Subſternuntur quoque MATHEMATICÆ IMPVRÆ,

COSMOGRAPHIA.

PERSPECTIVA.

MECHANICA.

COSMOGRAPHIÆ partes ſunt

ASTROLOGIA ſphærica, conſiderans Cœlorum ſitus, Aſtrorum conuerſiones, ortus, obitus, altitudines, longitudines, latitudines, declinationes, circulationes; & cæteras cœli facies. Idque inſtrumentis varijs, puta Sphæra artificiali, Globo cœleſti & terreno, Semiſphærico Nautico, & Aſtrolabio. Illis enim deprehenduntur orbes Cœlorum vndecim; puta Empireum Beatorum ſedes, primum

Mobile, Cœlum nonum, Sphæra octauæ, septem Planetarum orbes Saturni, Iouis, Martis, Solis, Mercurij, Veneris, Lunæ, recentiores alios superaddunt.

Stellæ fixæ, vt sunt signa Zodiaci, sequenti disticho indicata

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces,

tum Stellæ Septentrionales & meridionales.

Motus orbium, primi mobilis ab Oriente in Occidẽtem: aliorum ab Occidente in Orientem; trepidationis & librationis.

Circuli majores Horison, Meridianus, Zodiacus: Minores coluri duo, Tropici duo, duo Solares. Cœli cardines cum axe & Polis artico & antartico. Zonæ quinque duæ temperatæ, duæ frigidæ cum Torrida.

Planetarum excentrici, concentrici, deferentes, apogeum seu aux perigeum. Illorum etiam passiones; sunt enim Planetæ directi, vltrogradi, tardi veloces, ascendentes, descendentes; orientales, occidentales, luminati obscuri, amici inimici; per aspectus qui

sunt sextilis, quadratus, oppositus, conjunctio.

Est & altera IVDICIALIS, seu genethliaca ex Cœlorum motu, influentijs, facie, aspectu præsagiens temporum vices, & quæcumque futura sunt; ad quæ reducuntur PHISIOGNOMIA cœlestis & naturalis, CHIROMANTIA, & GEOMANTIA.

PIROGRAPHICA, ANEMOGRAPHICA, & METHEOROGRAPHICA; hic etiam locum habent, licet alibi explicentur,

HIDROGRAPHICA, quæ describit Maris Oceani & Mediterranei portus, lacus, flumina, fontes.

GEOGRAPHICA, quæ quatuor terræ partes delineat, Asiam, Affricam, Europam, & in orbe nouo Americam vtramque Septentrionalem & Meridionalem.

CHOROGRAPHICA, quæ Regiones singulares.

TOPOGRAPHICA, quæ loca peculiaria.

PERSPECTIVAM ET MECHANICAM DIVIDVNT PRÆSERTIM.

OPTICA, ars perspiciendi Res, per diaphanum

num oculis objectas verè, vel falso; per radios DIRECTOS incidentiæ, vt quando aspicimus parietem: REFLEXOS, vt in speculo: REFRACTOS, in duplici medio, vt in aqua. Docet quoque differentiam luminum, vmbrarum, interuallorum; augmentum & decrementum à proximitate, vel remotione objecti. Hanc ad praxim reducit Perspectiua, seu Scenographica, & Pictura.

CATOPTRICA, quæ docet artem fabricandi specula, lucidaque corpora; quorum reflexione lumen accipimus.

DIOPTICA, docens refractionem, quæ fit ex occursu corporum vitreorum, & transparentium.

GNOMOMICA.

PNEVMATICA.

HIDRAVLICA.

ARCHITECTVRA.

STATVARIA, TIPOGRAPHICA, aliæque proprie dictæ mechanicæ artes, quo demum nomine cujusque arbitrio nuncupentur; & ita tandem peracto circulo reditur in vltimam, quæ est

METAPHYSICA DVPLEX.

NATVRALIS, quæ totius Philoſophiæ corona eſt; & ſpeculatur

Entis eſſentiam & exiſtentiam, ejuſque PROPRIETATES, tranſcendentales ſex, VNITATEM, VERITATEM, BONITATEM, NVMERVM, ORDINEM, PERFECTIONEM, ſeu pulchritudinem.

DIFFERENTIAS, in ens vniuerſale & ſingulare, potentiâ & actu, dependens & independens, completum & incompletum, naturale & artificiale, ſimplex & compoſitum, totale & partiale, prius & poſterius, idem & diuerſum, poſſibile & impoſſibile, finitum & infinitum, reale & fictitium, ſeu rationis, abſtractum & concretum, neceſſarium & contingens. Item in

Subſtantiam & accidentia nouem; ex quibus decem conficiuntur CATEGORIÆ, ſeu prædicamenta, quæ illorum proprietates ſeorſim complectuntur.

SVPERNATVRALIS, eadem nimirum cum relatâ ſuperius Scientiâ inſpiratâ, ſeu

THEOLOGIA.

Vbi velut in throno ſedet virtus, vſque adeo glorioſa, vt non niſi eloquendi gratia diſtinguatur ab vltimo abſoluto

GLORIA

Quæ eſt delectatio cujuſcumque rei finalis, ſeu quies beata in æternitate, continens idcirco & quietem, & delectationem; eſtque

INCREATA in Deo, & beatis creata.

NATVRALIS, in centro.

HVMANA, in vltimi deſiderij fruitione.

MVNDANA, in vanitate.

DIABOLICA, in voluptate. Vno verbo definitur Ambroſio & Ariſtoteli, clara cum laude notitia. Sed eſt alia beatitudo & finis vltimus, quem proponit & declarat tam Philoſophia Moralis quàm Theologia Chriſtiana, ſtatus videlicet omnium bonorum aggregatione perfectus.

Abſolutis ſuccedunt vltimo loco

RESPECTIVA.

DIFFERENTIA.

CONCORDANTIA.

OPPOSITIO.

PRINCIPIVM.

MEDIVM.
FINIS.
MAJORITAS.
ÆQVALITAS.
MINORITAS.

Ab his nonnihil discrepat relatio illa seu respectus categoricus quo formaliter aliquid refertur ad aliud, non tanquam ad subjectum aut objectum, principium vel finem, sed velut ad terminum; in queis attenditur præcipuè subjectum in quo, fundamentum propter quod, proximum seu remotum, terminum ad quem fit relatio; ita vt relationes seu substantiales in Deo, seu prædicamentales, vt inter duos parietes albos, mutuæ sint, vt Pater & Filius, oppositæ vt Rex & subditus, simul natura & definitione coëxistant. Nam Termini Lulliani longè latius patent; eosque omnes paulo fusius euolutos orditur

DIFFERENTIA.

Quà alterum differt ab altero, reperitur
Inter substantiam & substantiam, substantiam & accidens, accidens & accidens, abstractum & concretum & similia. Et quidem ex

primis intentionibus.

ESSENTIALIS, vt creator essentialiter differt à creatura per esse increatum.

REALIS, rerum in se, vt homo à bruto per animam rationalem.

ACCIDENTALIS, per accidens vel proprium, vt homo differt à bruto per risibilitatem, vel commune, vt æthiops à Gallo,

Ex secundis intentionibus sumitur à

RATIONE seu phantasia,

GENERE, vt homines, lapides, arbores.

SPECIE, vt homo, leo, canis.

NVMERO seu INDIVIDVO, vt Petrus, Ioannes, Iacobus; & ex decem reliquis prædicamentis, per declineationem supra memoratam.

CONCORDANTIA.

Quâ omnia in vno vel pluribus conueniunt, optima ad vestiganda media rei cuilibet probandæ accommoda, estque; Tam vniuersalis inter omnes creaturas, quam specialis, verbi gratia, inter succinum & paleam.

1. Per diuisionem incomplexorum, vt sunt vniuoca, vt homo respectu Petri Ioannis &c.

æquiuoca, vt homo, respectu hominis viuentis, mortui, picti, analoga, vt sanitas conuenit Medico, medicinæ, sanato. Sinonima, à Consilio, Casu, Assimilatione, Metaphora, Grammatica; vt Deus omnipotens, Rex vniuersi, Centrum mundi, cuncta videns.

2. Per diuisionem realem totius

ESSENTIALIS, vt homo diuiditur in Corpus & Animam.

INTEGRALIS vt Anima in intellectum, voluntatem, memoriam; corpus in membra.

ACCIDENTALIS, templi in chorum, nauim, tectum.

IN partes secundum esse, & modum essendi in tempore, quantitate, &c.

GENERICI, in species superiores & inferiores, vt spiritus Angelicus & humanus. Subalternatas & specialissimas, vt viuens in animal & rationale.

VNIVERSALIS, in differentias subjectas, animal in rationale & irrationale.

CAVSÆ, in effectus, & contra, vt sol, lux, calor, influentia; homo respectu solis, & hominis generantis.

SVBIECTI, in accidentia & contra; vt terræ ſiccitas & frigiditas.
Virtutis, in operationes intrinſecas & extrinſecas; vt Charitas ad Deum & ad proximum.
SVBSTANTIÆ, in ſuas potentias, vt anima in intellectum & voluntatem.
Abſoluti, in relata; vt natura diuina reſpectu perſonarum.
3. Naſcitur, Concordantia ex complexis, ſiue ratiocinationibus per conjunctiones.
SVBIECTI & prædicati, vt homo eſt animal, Deus eſt bonus.
PATIENTIS & agentis, vt ignis comburentis & ligni quod comburitur.
MODI actionis, & paſſionis, vt cœli rapidiſſime mouentur, mare tardè gelatur.
4. Fit denique concordia per varias attributiones vt ſunt collectio partium in toto, verbi gratia, membrorum in corpore.
Mixtorum in mixto, vt herbarũ in medicinâ.
Simplicium in mixto, vt Elementorum in lapide.
Continuorum, vt punctorum in linea, linearum in ſuperficie.

Discretorum, vt minutarum in hora, horarum in die, Angelicarum operationum in æuo, operationum Dei ad extra.
Materiæ & formæ, vt animæ & corporis in homine.
Aliquorum in vno tertio, vt personarum in Essentia Diuina, naturarum in Christo.
Substantiæ & accidentis, vt albedo, & calor in homine.
Effectuum in causa, vt radiorum in Sole.
Instrumentorum in arte. Tandem
AFFINIVM, vt rami & truncus, aër & ignis.
Æqualium, vt Leo & Tigris, Petrus & Ioannes, duo palmi.
SIMILIVM, vt flores & stellæ, imago & protipus aliaque innumera quæ reperies percurrendo quinque vniuersalia Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens. Decem prædicamenta substantiam, quantitatem, qualitatem, &c.

OPPOSITIO.

In eo autem à differentia discreta quod per differentiam præcisè quodlibet in se distinctum constituitur, nec vllo cum alio confusum;

sum; oppositio verò distinctam superaddit pugnam & mutuam resistentiam propter diuersos respectus. Estque vel
IMMEDIATA, vt inter frigiditatem & calorem, vel
MEDIATA, vt inter colorem viridem & purpureum.
Rursum reperitur inter incomplexa & complexa; & quidem quadruplex inter incomplexa.
CONTRARIA, propriè inter accidentia quę se mutuò expellant à subjecto amborum successiuè capaci; vt inter primas qualitates calorem & frigus.
PRIVATIVA, vt vitæ & mortis, visus & cæcitatis; dicitque solum absentiam formæ à subjecto in quo naturaliter debet existere.
RELATIVA, vt inter Patrem & Filium; estque omnium minima oppositio.
CONTRADICTORIA, maxima est, vt est, non est; animal, non animal.
Vbi verò inter complexa, id est inter propositiones oppositio attenditur, est quoque quadruplex. Etenim ex subjecto & prædica-

to & Spula naſcuntur propoſitiones.
CONTRARIÆ, vniuerſales affirmatiuæ vel negatiuæ, vt omnis color eſt lucidus, cui opponitur nullus color eſt lucidus.
SVBCONTRARIÆ, particulares itidem affirmatiuæ & negatiuæ, vt aliquis color eſt lucidus, aliquis color non eſt lucidus.
SVBALTERNÆ, cum vniuerſali affirmatiuæ, vel negatiuæ, particulares ejuſdem generis ſubijciuntur, vt omne viuens operatur, animal eſt viuens.
CONTRADICTORIÆ, vel vniuerſalis affirmatiua cũ particulari negatiua, vt omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal. Vel vniuerſalis negatiua & particularis affirmatiua, vt nullus homo eſt animal, aliquis homo eſt animal. Inſigniores oppoſitionis ſpecies tres delineat Raimundus in Angelo B. inter ſenſibile & ſenſibile puta inter colorem & ſonum: inter ſenſibile & intellectuale, vt inter corpus & animam, inter ſpiritale & ſpiritale, vt inter Deum & Angelos.
Atenim ternarium iſtud differentiæ, concor-

dantiæ, & oppoſitionis, ſeu contrarietatis facilius innoteſcet, ſequenti non boni viri indiculo, cui includitur ad majorem amplificationem declinando & conjugando ſecundum Regulas artis, & omnes terminos Lullij per quatuor figuras nec non earum mixtionem.

RERVM CONCORDANTIA ET REPVGNANTIA.

Nam vt probes Deum eſſe reuera bonum, cognata perueſtigabis, quia benignus, ſui diffuſiuus, omnibus vtilis &c. Similiter repugnantia, quia procul ab omni malitia, auaritia, dedecore ex ſimilibus. Igitur

BONITATI

CONCORDANT, emanatio, communicatio, diffuſio, melioratio, conſtructio, nobilitas, honeſtas, vtilitas, commoditas, ſanctitas, eſſe, eſſentia, actio, & ſimilia.

REPVGNANT, malicia, ſolitudo, deſtructio, reſtrictio, inhoneſtas, dedecus, prophanum, damnum, incommodum, otium, & ſimilia.

MAGNITVDINI

CONCORDANT, extenſio, intenſio, infinitas, immenſitas, incomprehenſibilitas, ſubtilitas, ſuperioritas, vnitas, indiuiſibilitas, totalitas, ſummitas, vniuerſitas, ſingularitas, emanatio, amplitudo, multitudo, plenitudo, abũdantia, ſufficientia, diuitiæ, numerus, pondus, menſura, diſtantia, figuratio, punctum, linea, ſuperficies, ſoliditas.

REPVGNANT, minoritas, paruitas, paupertas, comprehenſibilitas, partialitas, diminutio, inſufficientia, occupatio, comprehenſum, limitatum, vacuum.

DVRATIONI

CONCORDANT, æternitas, incorruptibilitas, immutabilitas, immortalitas, antiquitas, firmitas, ſempiternitas, indiſſolubilitas, perennitas, tempus, æuum, primitiuum, conſtantia, perſeuerantia.

REPVGNANT, corruptio, priuatio, mutatio, inconſtantia, diſſolubilitas, præteritum, tranſitorium, recens, aliquando.

POTESTATI

CONCORDANT, eſſe, exiſtere, poſſibilitas, operari, agere, producere, creare, dominari,

omnipotentia, magnipotentia, fortitudo, vis, facultas, violentia, actus, authoritas, jurisdictio, præceptum.

REPVGNANT, otium, resistentia, impotentia, passio, potentia passiua, impossibilitas, debilitas, impedimentum, seruitus.

SAPIENTIÆ

CONCORDANT, cognitio, prophetia, prænotio, instinctus, præscientia, prouidentia, prudentia, præsagium, scientia, ars, industria, intelligentia, opinio, sensus, fides, electio, rememoratio, contemplatio, interpretatio, diligentia, ordo, necessitas, ratiocinatio, arbitriũ, conscientia, synderesis, conjectura, diuinatio, præsumptio, suspicio, nomen, Eloquentia.

REPVGNANT, ignorantia, error, obliuio, incredulitas, stultitia, negligentia, immemoria, confusio, contingens, sors, casus, fortuna, extraordinarium, imprudentia, impudentia.

APPETITVI

CONCORDANT, voluntas, amor, libertas, audacia, liberum arbitrium, dilectio, conseruatio, licentia, permissio, consuetudo, interpretatio, & reliquæ omnes animi passiones,

pondus & inclinatio rerum naturalium in finem, desiderium.

REPVGNANT, odium, coactio, fuga, desperatio, timor, ira, horror, metus, violentia, maleuolentia, obligatio.

VIRTVTI

CONCORDANT, dignitas, nobilitas, honestas, laus, decus, honor, gratia, donum, meritum, fortitudo, natura, operatio, vnio, instrumentum, potentia, agendi, & patiendi.

REPVGNANT, vitium, impotentia, ineptitudo, vilitas, ignauia, &c.

VERITATI

CONCORDANT, justitia, ordo, correctio, lex, præceptum, prædestinatio, necessarium, possibile, esse, existentia, idæa, imago, exemplar.

REPVGNANT, falsitas, error, mendacium, confusio, obscuritas, incorrigibilitas, impossibile, contingens, dispensatio, priuilegium.

GLORIÆ

CONCORDANT, gaudium, lætitia, plenitudo, perfectio, satietas, pulchritudo, beatitudo, libertas, felicitas, delectatio, voluptas,

fruitio, finis, præmium, retributio, laus, notitia, fama.

REPVGNANT, contrarietas, inquietudo, imperfectio, deformitas, impedimentum, infelicitas, ignominia, obscuritas, damnatio, pœna, pœnitentia, ingratitudo, tristitia.

ESSENTIÆ

CONCORDANT, esse, substantia, natura, forma, informatio, entitas, actus, existentia, persona.

REPVGNANT, non esse, non ens, accidens, casus, fortuna, violentia, negatio, falsitas, mendacium.

VNITATI

CONCORDANT, simplicitas, identitas, conuertibilitas, paritas, integritas, singularitas, proportionalitas, fortitudo, indiuidualitas, omnia absoluta prædicata.

REPVGNANT, debilitas, dualitas, multitudo, compositio, diuisio, mixtio, diuersitas, multiplicatio.

PERFECTIONI

CONCORDANT, finis, complemẽtum, pulchritudo, status, aggregatio, eleuatio, purificatio.

REPVGNANT, imperfectio, deformitas, diminutio, defectus, mutabilitas, superfluitas, egestas, inchoatio, corruptio.

DIFFERENTIÆ

CONCORDANT, distinctio, pulchritudo, distributio, diuisio, distantia, diuersitas, pluralitas, ordo.

REPVGNAT, confusio, vnitas.

CONCORDANTIÆ

CONCORDANT, proximitas, similitudo, vnio, identitas, conuertibilitas, collectio, cõpositio, comparatio, amicitia, sympathia.

REPVGNAT, discordia, odium, antipathia, separatio, soliditas, &c.

CONTRARIETATI

CONCORDANT, contrarietas, contradictio, repugnantia, resistentia, inimicitia, derogatio, negatio, priuatio, corruptio, destructio, oppositio, relatio.

REPVGNAT, disquiparantia, facilitas, amicitia, vnio.

PRINCIPIO

CONCORDANT, causa, origo, impulsus, nobilitas, productio, influxus, effluxus, antecedens,

cedens, absolutum, prioritas, authoritas, bonitas, conseruatio.

REPVGNAT, otium, defectus, indigentia, sterilitas, malitia, infirmitas.

MEDIO

CONCORDANT, instrumentum, centrum, forma, dignitas, mediatū, perfluens, refluens, comitans, conjungens, connectens, naturale, morale, secundarium.

REPVGNAT, vacuum, repugnantia, inutilitas, separatio, diuisio.

FINI

CONCORDANT, quies, perfectio, consummatio, retributio, refluxus, affluxus, euentus, objectum, consequens, terminus, determinatio, finitum, posteritas, extrema, consummatio, felicitas, gloria.

REPVGNAT, inquietudo, imperfectio, motus, infinitum.

MAIORITATI

CONCORDANT, decentia magnificentia, authoritas, superioritas, libertas difficultas, causalitas, majus, magis, superius, conseruatio, liberalitas.

REPVGNAT, nihilum, nullitas, paruitas, passio, infimus gradus.

ÆQVALITATI

CONCORDANT, similitudo, conformitas, conuertibilitas, imitatio, propinqua, immediata, affinitas, studium.

REPVGNAT, inæqualitas, auersio, extrema, oppositio.

MINORITATI

CONCORDANT, humilitas, obediẽtia, opera, effectus, inferius, facile, minus, receptio, seruitus.

REPVGNAT, immensum, infinitum, omnipotens, diuitiæ, scientia, actio.

Ad majorem porro extensionem omnia, vt jam monui, conjugant & declinant Cabbalistæ, verbi gratia.

BONITAS, bonificat, communicat, diffundit, construit, emanat, agit, essendi vim tribuit, sanctificat, emendat.

MAGNITVDO, magnificat, amplificat, extendit, intendit, multiplicat, extollit, mensurat, figurat, sufficit.

DVRATIO, confirmat, conseruat, durat, perseuerat.

POTESTAS, continet, operatur, agendi tribuit, fortificat, producit, possificat, creat, liberat, producit.

COGNITIO, regit cognoscit, credit, recolit, intelligit, inuestigat, eligit.

APPETITVS, appetit, vult, diligit, sperat, deliberat, permittit.

VIRTVS, operatur, dignificat, nobilitat, fortificat vim tribuit, laudat, honestat.

VERITAS, verificat, justificat, circumscribit, corrigit, ordinat, regulat, demonstrat, castificat, præcipit.

GLORIA, perficit, complet, in fine quiescere facit, liberat, beatificat, saluat.

DIFFERENTIA, distinguit, decorat, ornat, diuidit, distribuit, discernit, separat.

CONCORDANTIA, vnit, assimilat, comparat, pacificat, communicat, colligit, continet, conciliat.

OPPOSITIO, opponit, resistit, repugnat, contradicit, contrariat, aduersatur.

PRINCIPIVM, creat, producit, causat, generat, conseruat, efficit, communicat, disponit.

MEDIVM, trahit, perfluit, ducit, appetit, ra-

r[illegible], allicit, conjungit, ſeparat.
Finis, perficit, coronat, redit, retribuit, refluit, ſatiat.
Majoritas, magnificat, dignificat, præcipit, cauſat, ligat.
Æqualitas, æquiparat, ſimilat, approximat.
Minoritas, humiliat, deprimit, ſubijcit.
In tertia tandem reſpectiuorum triade concluditur

Principium.

A poteſtate & virtute quæ abſoluta in ſe conſiderantur, diſtinctum per ordinem prioritatis & originis quem habet ad id omne cujus eſt principium. Eſtque vel ſubſtantiale per cauſas vt infra, vel accidentale, vti habetur in nouem prædicamentis. Ideoque ponitur multiplex.
Vniversale, generaliſſimum, vt Deus, & ſubalternum vt ſol.
Speciale, ſubalternans vt ſol, & ſpecialiſſimum vt homo.
Per se, extrinſecum, efficiens, antecedens, vt Deus.

PER ACCIDENS, occasione, fortunâ, necessitate, casu, voluntate, vt causæ monstrorum, lapis offensionis, &c.
PRIMARIVM, vt homo.
SECVNDARIVM, instrumẽtale positiuum, vt calamus, priuatiuum vt ipsa priuatio.
CAVSALE, per se intrinsecum essentiale, formale, vt materia & forma.
EXEMPLARE, vt ideæ diuinæ, Christus, prototipus.
MATERIALE, propinquum, vt corpus humanum, remotum, ex semine seu limo terræ.
OBJECTIVVM, vt corpus sanabile respectu medicinæ
SVBIECTIVVM, permanens, vt elementa in corporibus, transiens vt
FINALE, vltimum, vt Deus, subordinatum vt beatitudo, impulsiuum, virtutis honestas.
ACCIDENTALE, seu instrumentale conjunctum, vt manus.
CONJVNCTVM substantiale, vt anima, accidentale vt manus, principale vt cor.
SEPARATVM, vt gladius, materiæ, formæ, figuræ, mensuræ, determinationis, motus,

cr .cinentis,doctrinæ,artis.

MOTIVVM seu causatiuum generationis vt semẽ;corruptionis humidi natiui destructio; augmentationis calor & cibus; diminutionis, senectus; Alterationis qualitates; localis, sedes; projectorum seu violentorum, vt manus & machinæ.

Ordinationis, quo prius aliquid est naturâ, vt Deus creaturis; tempore, vt Angeli homine; definitione, vt animal rationali; loco, vt senator plebe; dignitate, vt prætor senatore, cognitione vt sensibilia spiritalibus; origine, vt pater filio in diuinis.

MEDIVM.

Quo extrema aliqua inter se cohærent quoquomodo.

CONIVNCTIONIS, naturæ, vt ignis & aër per calorem; situs, per cathedram; temporis, vt hiems & æstas per autumnum; loci, senatores per sedes; mensurationis, vt æqualitates notæ; substantialis, vt vnio hipostatica, & accidentalis, vt color & odor.

MENSVRATIONIS inter æqualia & inæqualia, vt vnus palmus & duo palmi; substan-

tialiter & accidentaliter.

EXTREMITATVM, vt angulus in pariete, his generalioribus adnectitur medium.

OPERATIONIS, vt cognitio ad amorem. Fere idem

INSTRVMENTALE, adhæsionis, vt albedo parieti, participationis vt flauus color

COMPREHENSIONIS, vt manus tenens calamum; vnionis, vt gluten; sustentationis pedes & bases.

TRANSITIONIS, secundum locum, vt aër inter cœlum & terram; motum, vt aqua superior respectu infimæ; quietem, vt est centrum.

POSITIVVM, vt sanitas priuatiuum, vt morbus; destructiuum, vt securis; constructiuum, vt malleus; scientificum, vt definitio, &c.

FINIS

Ratio scilicet quâ omnia entia terminantur, vel finiuntur, estque respectiuus cum gloria. Consideratur absolutè, estque

EXTREMITATVM nexus,

SVBSTANTIALIS, vt in generatione; priuationis vt lumen in aëre; accidentalis, vt ho-

nc , ſecundum locum, vt patria; tempus, vt Iudicium vltimum; qualitatem, vt calor in aëre; quantitatem, vt magnitudo congrua; corruptionis, vt mors; defectionis, vt ſenectus; definitionis in eſſe, vt homo eſt animal rationale; operari, vt eſt rationale ad ratiocinandum; pati, vt materia prima diuerſas formas, &c.

MAJORITAS

Exceſſum ſignificans bonitatis, magnitudinis, durationis, &c.

Illius ſpecies præcipuæ tres.

Inter SVBSTANTIAM & SVBSTANTIAM, quæ deſumitur à majori vel minori eſſentiarum perfectione; ſic Angelus eſt homine major.

Inter SVBSTANTIAM & ACCIDENS, ſic anima Rationalis major eſt ſcientia.

Inter ACCIDENS & ACCIDENS, ſic videre majus eſt ſeu perfectius, quàm guſtare; intelligere, quàm videre;

Quæ tria complectitur etiam

ÆQVALITAS

Non vt pallio quantitatis eſt cathegorica, ſed

sed generalissimo conceptu pro ration. intrinseca quâ entia sunt inter se æqualia. Sic Petrus est æqualis Ioanni in gradu specifico; palmus rei palmari; frigidum in quarto gradu, calido in eodem; intelligere & amare æqualia sunt in obiecto. Pari modo se habet

MINORITAS.

QVÆ accedit ad rationem nihili, res enim eo minores quò minus existunt; quoniam duo termini isti majoritas & minoritas locum nullum habent in diuinis; verum vltimus iste triangulus satis supra in varijs titulis explicatur; nam vbique graduum diuersitas reperitur, bonus, melior, optimus; magnus, major, maximus, &c. vt & illud quoque notissimum, eandem scientiam agere de contrarijs, cujusmodi sunt bonitas & malitia; virtus & vitium; gratia & peccatum; quæ quidem omnia sumi possunt quadruplici sensu per hoc distichon designato.

Littera Gesta docet, quid credas allegoria.
Moralis quid agas, quid speres anagogia.

Pariter in N G. G G. & G P. in esse creato, & increato, per nostram scientiæ piramidem.

Qui si quis interpretationis nec non applicationis breuiorem quasi tabellam desiderauerit; habeat illæ Lullianæ Artis sinopsim simulque compendium.

SINOPSIS ARTIS LVLLIANÆ.

Nam vt ab autore Raimundo præscripta est satis implicatâ methodo, à qua nostrum hocce scholion tantisper deflectit, ne quid curiosi conquerantur, aut criminentur Momi; eam vt se habet in textu, paucis hîc placet delineare, *summa sequens fastigia rerum.*

Artis itaque *propositum* est, viam ad omnem scientiam & eloquentiam sanè facillimam aperire, principia tradens omnium rerum generalissima. Adeovt de quolibet subjecto materia formæ vnita, veritas inuestigetur; & fine constituto considerentur tum objecta, tum subjecta. Porro objectum triplex est, spiritale, corporeum, ex vtroque commixtam. Id quod capitulis decem & tribus omnino absoluit.

In Prima igitur Parte constituit ALPHABETVM, quo continentur velut

eleméta artis hujus, nouem SVBIECTA; scilicet, *Deus, Spiritus Angelicus, Cælum, Homo, Imaginatiuum, Sensitiuum, Vegetatiuum, Elementatiuum, Instrumentatiuum.* Deinde nouem ABSOLVTA, *Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potentia, Cognitio, Appetitus, Virtus, Veritas, Gloria.* Tertio nouem RESPESTIVA, *Differentia, Concordia, Oppositio, Principium, Medium, Finis, Majoritas, Æqualitas, Minoritas.* Quarto nouem INTERROGATA, *An sit, quid, quale, quantum, vnde, quare, quando, vbi, quomodo.* Quinto nouem VIRTVTES, *Iustitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Fides, Spes, Charitas, Patientia, Pietas.* Tandem nouem VITIA magis vniuersalia, *Auaritia, Gula, Luxuria, Superbia, Acedia, Inuidia, Ira, Mendacium, Inconstantia.*

Quæ Alphabeti principia seu elementa Artis quinquaginta quatuor, subtiliter indicat per characteres seu LITERAS nouem B. C. D. E. F. G. H. I. K. Adeovt vna quæque ex his nouem literis, sex terminos ordine significet; sic nimirum B. significat sex terminos; qui sunt, *Bonitas, Differentia, vtrum, Deus,*

Litia, Auaritia. C. significat *Magnitudinem, Concordiam, quid, Angelum, Prudentiam, Gulam;* Et ita consequenter.

Notandum verò literam A. locum minimè habere in hac serie Alphabetica; tum quia denotat fundum essentiæ, à quâ omnes proprietates velut riui & rami pullulant: tum quia indicat vnam specialiter ex Figuris, de quibus mox.

In SECVNDA igitur PARTE, agit de quatuor FIGVRIS; quarum PRIMA indicata per A. continet nouem Principia, seu Terminos Absolutos, quos denotãt nouem characteres hoc modo; B. Bonitas. C. Magnitudo. D. Duratio. E. Potentia. F. Cognitio. G. Appetitus. H. Virtus. I. Veritas. K. Gloria. SECVNDA nouem Respectiua B. Differentia. C. Concordia. D. Oppositio. E. Principium. F. Medium. G. Finis. H. Majoritas. I. Æqualitas. K. Minoritas, cum Angulis tribus, viridi, rubeo, & croceo.

TERTIA Figura conflata ex duabus præcedentibus, nectit prædicata cum subjectis v. g. Bonitas est magna, Bonitas est princi-

pium; & sic deinceps, cameras conficiendo subjectorũ, & terminorũ combinationibus.
QVARTA demum Figura tribus constat Circulis, quorum superior manet immobilis, duo vero inferiores subinde reuoluuntur, vt per omnium terminorum combinationes ducentas quinquaginta duas, examinetur conuenientia, & repugnantia subjectum inter & prædicatum.
TERTIA PARS statuit Principiorum, seu Terminorum DEFINITIONES, quæ sunt ipsissima media, quibus scientia generatur. v.g. Bonitas est ens, ratione cujus omne ens est bonum, operatur bonum & destruit malum quod ei opponitur. Magnitudo est ens ratione cujus ejus bonitas, differentia, finis, & similia, sunt magna, & à paruitate remota, &c.
IN QVARTA PARTE: præscribit regulas respondẽdi ad nouem QVÆSTIONES; *An sit, quid, quale, quantum, vnde, quare, quando, vbi, quomodo?*
IN QVINTA est TABVLA, distincta Columnis octoginta quatuor, quas replent om-

rum terminorum combinationes, cum hoc discrimine; quod literæ quæ præcedunt T. sunt de prima Figura A. quæ vero sequntur T. sunt de secunda Figura, quam denotat T. verbi gratia, B. T. B. primum B. significat bonitatem, qui primus est terminus Figuræ Absolutorum: secundum B. denotat differentiam, qui est primus terminus inter respectiuos; & ita de reliquis.

SEXTA PARS EVACVAT Cameras; hoc est sumit combinationes probandæ rei propositæ idoneas, illasque exhaurit.

SEPTIMA MVLTIPLICAT quartam Figuram; hoc est voluendo circulos, literas, & combinationes, vestigat propositiones omnes, quæ de re qualibet possunt efformari.

OCTAVA MISCET vnum principium cum alio v. g. bonitatem considerat in Deo, in Angelo, in virtute, vnde sit, propter quid & similia.

NONA percenset SVBIECTA nouem jam in serie Alphabeti collocata; illa deducendo per alios Artis terminos: tum deinde

per ſubjecti cujuſque partes, & ſubdiuiſiones, titulos & ſubtitulos.

DECIMA Artem APPLICAT, miſcendo implicitum & explicitum, abſtractum & concretum, generale & ſpeciale; percurrendo omnes Alphabeti Terminos, & illos in infinitum reuoluendo; idque præſertim auxilio CENTVM FORMARVM; quarum explicatio ſuperius à me inſinuata eſt pagina 74.

VNDECIMA, in Alphabeti terminis fingit QVÆSTIONES verbi gratia, an homo ſit bonus? an hominis bonitas ſit durans? quomodo differat à bonitate lapidis? &c.

DVODECIMA agit de HABITVATIONE Artis; id eſt, de modo illam addiſcendi; ſicut etiam VLTIMA de modo eam DOCENDI.

Hæc procul dubio SVMMA eſt, corum omnium quæ vnquam ſcripſit compoſuitue Raimundus ille Lullius; nam vſqueadeò Arti ſuæ addictus erat homo minimè malus, vt eam nó aliter quàm Siſiphi ſaxum volueret, reuolueretque labore vix credendo vn-

dè quiſquis mentem Autoris ſemel aſſecutus fuerit; omnia illius opera ad hancce doctrinam ſpectantia facillimè capeſſet (Chimica enim ſintne genuini partus adhuc cõtrouertitur;) Reuera enim Arbor ſcientiarum Ars magna, Kabbala, Ars Inuentiua, aliaque ſexcenta, idem prorſus cudunt, ac recudunt: & prothei artificio eundem prorſus veritatis vultum, mille formis demutant; ſed ſæculi fato iteratis tot explicationibus non tam lucem affundit, quam tenebras offundit.

Aliquem lucis Radium fortaſſis ſubinferet,

COMPENDIVM ARTIS EXPLICATÆ.

Supponendum 1. VNAM eſſe in omnibus rebus tum veritatem, tum ſcientiam generaliſſimam.

2. Vt rectè ſentiebat Anaxagoras, omnia in omnibus conſpici: Et de QVOLIBET omnia dici poſſe, vel per proprietatem, vel per analogiam; vt homo dicitur Deus, Angelus, Arbor, ouis, lupus, ſol, flos, vmbra, &c.

3. Rerum

5. Rerum PARTITIONEM vniuersalem esse in ens increatum, & creatum, substantiam & accidens.

4. Orationem vt rectè procedat debere certis circunscribi LINEIS; ideò Lullium inuenisse Terminos Artis suæ vniuersales, vt per illorum disciplinam reliquæ scientiæ veluti particulares, majori & breuitate, & facilitate possint acquiri.

5. Cum vnaquæque essentia sit propter actionem, actio autem semper tendat ad productionem sui similis; terminos omnes qui vocantur in Arte generales, posse vel DECLINARI vel CONJVGARI vt ostensum est supra pag. 6. Eloquentiam tum esse PERFECTAM, cum de ea re proposita varia aptè & concinnè dicuntur vel ad exornandum, vel ad persuadendum. His ita constitutis scire debet is cui in promptu, aut ex suggestu orandum incumbit.

1. Orationem esse alligandam determinato alicui subjecto, quod sit quasi CENTRVM totius orationis. Porro SVBJECTVM cujuslibet orationis est expressè vnum ex nouem,

ve certè intra aliquod ex illis latens & inclusum. si enim materia oratori tractanda est Spiritus sanctus, reducitur ad B. quo significatur DEVS. si Raphaël, ad C. id est, ANGELVS. si Sol, aut Luna ad D. id est, COELVM. si pueritia, vel senectus ad E. id est, HOMO. si ens rationis ad F. id est, IMAGINATIVVM. si oculi ad G. id est, SENSITIVVM. si laurus, aut vitis ad H. id est, VEGETATIVVM. si Aurum, terræ, fluuius, puteus ad I id est, ELEMENTATIVVM si ensis, calamus, calor, prudentia, &c. ad K. id est INSTRVMENTATIVVM.

Cum hac animaduersione; quod ad hæc nouem reduci debent quæ illis OPPONVNTVR, vt tenebræ ad Cœlum, cæcitas ad sensitiuum, vitium, lasciuia, crudelitas, ad instrumentatiuum; Quæ certè causa est cur classes virtutum & vitiorum distinctæ, à nobis reijciuntur, vt superuacaneæ.

2. Subjecto orationis constituto, statim super eo formabit orator QVÆSTIONEM vnam vel plures, ex nouem generalibus, verbi gratia. *An sit calor? aut calamus quid sit?*

qualis? quantus? vnde? quare? quando? vbi? quomodo? & cum quo?

3. Quæstione factâ circa subjectum orationi propositum, mox ipse sibi respondeat orator DVPLICI viâ; nimirum per Terminos ABSOLVTOS, qui rem examinant in se: Et Respectiuos, qui eam vt se habet ad aliud. Priores nouem sunt *Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potentia, Cognitio, Appetitus, Virtus, Veritas, Gloria.* Posteriores quoque nouem, *Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium finis, Majoritas, Æqualitas, Minoritas.* His ADJVNGE rerum proprietates, vicinas, similes, & oppositas; vt bonitati cognata est communicatio, diffusio, benignitas; repugnat verô vitium, Auaritia, sterilitas, austeritas, &c.

4. Vt igitur concinnâ cimmetriâ & motu propemodũ infinito excurrat oratio, MISCE iteratis circulationibus seu reuolutionibus illos triginta sex Terminos, illos applicando proposito subjecto, & vel infans eua-des in virum eloquentem.

Atenim cum omnium sapientum calculis,

ter per præcepta longum sit, & obscurum, per exempla breue & expeditum ; animo non omnino reluctanti sequentia paradigmata vt adnecterem, aliorum mihi Consilio persuasum est. Principiò quidem rerum simplici explanatione, mox accuratiori stilo, licet inelaborato. Esto itaque

PRIMVM EXEMPLVM

Artis hujus in compendium contractæ.

LVX proposita sit ad dicendum materia. Hanc primo reuocabo ad subjectum C. idest Cœlum ; mox tria inquiram, 1. quid sit ? 2. vnde ? 3. quare ? Tum deinde tot orationis partibus respondendo, 1. lucem florem esse & cœlestis mundi amœnitatem, cujus ministerio omnia Mortalibus beneficia mira profusione communicantur. Lux est imago diuinæ æternitatis, simbolum veritatis ac sapientiæ, &c. 2. Deum habet autorem, cujus ex ore prodijt velut primogenita, in quo similis Angelicæ naturæ est, longèque nobilior arboribus & plantis, quæ è terra solummodo nascuntur. 3. Facta à Deo lux est, vt Cœlorum orbes velut immortali gloria co-

ronentur, vt per illius radios & secretas ener-
gias Deus suam hominibus potestatem de-
monstraret, vt orbem sublunarem illustra-
ret, foueret, fœcundaret, &c. ita porrò in in-
finitum prosequi nemo non potest, & felici,
& facili eloquentia. Sequitur deinceps Lul-
lianæ Artis, quomodo ab Autore tradita est,

SECVNDVM EXEMPLVM

Orationis disputationisve materia proponatur, Charitas; statim reducenda est ad suum subjectum instrumentatiuum scilicet, quod denotat vltima Alphabeti litera K; sicque definietur, instrumẽtum quo voluntas creata Deo supernaturaliter conjungitur, illum amando super omnia. Tum ordieris deductionem seu amplificationem.

2. In prima Figura Absolutorum, quam indigitar A. nouem illius Terminos percurrendo, in hunc ferê modum. A. b. BONITAS, Charitas omnium virtutum à Deo infusarũ est sane optima, diffusionis & vnionis capacissima. A. c. MAGNITVDO, Charitas extendi potest in infinitum, suisque actibus augeri; amans ideo nunquam dicit satis est.

A. Dvratio, Maxima certe est Charitas, quia fide & spe euanescentibus, durat ipsa, nec vsquam excidit. A. e. Potestas, Charitas regna vincit, domat Tirannos, flãmas extinguit, omnia miracula facillime exequitur. A. f. Sapientia, Charitas, veram Dei cognitionem ingenerat. A. g. Appetitvs, Charitas appetit Deo conjungi. A. h. Virtvs, Charitas inter Theologicas, Regina est. A. i. Veritas, est verè habitus à Deo infusus, veramque perfectionem operatur. A. k. Gloria, Charitas sola gloriæ coronam in æternitate promeretur: Vides primæ Figuræ cameras nouem, vt habet autor, euacuatas.

2. Deductio fit per Prædicata Respectiva Figuræ T. hac ratione; T. b. Differentia, Charitas differt à fide quæ excidit, & spe quæ expectat objectum absens. T. c. Concordia, Charitas conuenit cum spe & fide, in principio, objecto, infusione, effectis, &c. T. d. Contrarietas, Charitas & peccatum morrale se se mutuò expellunt. T. e. Principivm, diffunditur, à

Spiritu ſancto in cordibus noſtris ; &c. de reliquis.

3. Deductio fit per QVÆSTIONES, an Charitas ſit habitus, an à Deo infuſus, an in voluntate reſideat, quid ſit Charitas, qualis, vnde, propter quid, &c. item an Charitas ſit bona, an durans, an glorioſa, an differat, ab alijs, an æqualis Lumini gloriæ, an minor Spiritu ſancto, &c.

4. Deductio ſeu amplificatio fit, per MIXTIONEM Principiorum & Quæſtionum ; verbi gratia, an Charitatis bonitas, differat à bonitate Gratiæ ? Quid eſt quo Charitas ſimilis eſt Spiritui ſancto ; & ita quæſtiones formando per omnes Terminos.

Verum enimverò vt etiam à nobis explicatæ Artis præceptiones, floridiori ſtilo conueſtientur ; in tertia exemplorum claſſe jam ſubnecti debent oratiũculæ duæ de virtute vna, altera de Aquis Poguenſibus, vti facilius Artis iſtius amplitudo perſpiciatur.

DISCVRSVS EXEMPLARIS DE VIRTVTE EXTEMPORANEVS.

Per triginta sex Terminos Lullij, in simplici Figura.

SI Beato olim gentium Apostolo licuit, pietatem ad omnia necessariam asserere: idem certè proloquium virtuti si applicuero, nihil facturus mihi videor à veritate alienum. Etsi enim ea sit diuinæ hujus qualitatis prærogatiua, vt homine vti videatur seu nobilissimo organo, ad præstantissimarum rerum executionem; non abibo tamen à communi sapientum opinione, qui dotes virtutis eximias

eximias sic contemplantur, quasi totius humani generis ad opera qualibæt instrumentum. Vt enim nihil dicam modo de virtute illâ multiplici, quæ reperitur in Deo infinita, spiritalis in Angelis, arcanæ influentiæ in cœlorum orbe, tẽperata in homine, stupenda in imaginatione, naturalis in sensu, vegetans succrescẽsque in plantis, simplex in elementis quatuor mundi radicibus; satis est in eâ immorari, quam merito Catholicum pietatis instrumentum appellaui. Instrumentum dico, sed illud quidem vt in omni arte præstantissimum: ita profecto numeris omnibus ad nostram felicitatem, maximè absolutum.

Subiectas noué Deus, Angelus, Cœlum, homo, &c.

Propositio.

Cujus sanê perfectionem, ardentissimis omnium votis exoptandam ij omnes intelligent, qui hominum mentem boni cujusque desiderio non dicam imperato, sed innato teneri agnouerint. Nam obsecro vos, quæ major quam in virtute bonitas, vel conceptis votis potest excogitari? An non illa rerum omnium pulcherrimarum perfectissimarumque, colligationem in se se complecti-

Absoluta.

Bonitas.

tur? an non admirabili quâdam communicatione diuitias suas æquè ac delicias, in hominum mentes diffundit? Solem cogita si lubet, olei scaturiginem, Nilique gratissimam aquarum diluuionem; tum virtutis bonitatem animo tuo effinxeris, quæ vbique radios fundit, riuos effundit, beneficia diffundit. Vnde sapienter equidem Plato diuinus ille Philosophus, virturem depinxit tantâ bonitate efflorescentem, vt si diuina ejus species sine fuco ac fumo hominum oculis illabi posset, mirabiles sui amores in eorum mentibus excitaret.

Magnitudo. Deus bone! quam magna, quamque excellens virtutis hæc admirabilitas in immensum excrescens. Vsque adeo vt cætera omnia quibus hominum vanitas nomen facit & æstimationem, quasi infra se posita multis post se relinquat parasangis. Cræso opulentior, immensos pecuniæ thesauros vix sufficis dinumerare: fœlicior Alexandro, polum orbis vtrumque nutibus tuis subditum gloriaris; voluptate vincis Sardanapalum, cultu Helenam, luxu Anthonium, delicijs Cleopa-

tram, ſcientiâ Ariſtotelem, eloquentia Tullium; At præter quam quod hæc omnia noſtræ mortalitatis ludicra, longius ac forinſecus petita pendent ab alienis ſuffragijs, quibus ſi ſemel deſtituuntur, illico marceſcunt: ſanè quidquid illecebrarum cupido adinuenit, perfuſorijs duntaxat corporum voluptatibus abblandiri, nemo rectè ſentiens auſus fuerit inficiari. Virtus porro & potiorem hominis partem animam dico, ſuâ perfectione mirum quantum exornat; & vero quotidianis incrementis, durat in perpetuas æternitates.

Illud nimirum eſt monumentum ære perennius, quod ſapiens quiſque ſui famæ nominis exigere debet; eâ curâ, eo ſtudio, eâ demum corporis animique ſollicitudine & perſeuerantiâ, vt nec fluminis inundationes, nec fulminis iras, nec minas edacis temporis pertimeſcens, perenni laude triumphet. Cæteris namque mortali caducitate diffluentibus, vna ſcilicet virtus eſt, quæ numinis immortalitatem in hominis vitâ, cœli incorruptibilitatem in terris imitatur. Duratio.

Cogitate amabo virtutis ſtudioſum, vt ſe ipſo contentus fœlicem vitam viuat, beatis ipſis mentibus paulominus inferiorem. Nam ſi quæritur potentia, ſola virtus eſt, quæ effrænatos libidinum motus ſub jugum mittit, cogitque in girum rationis. Ignaui ſcilicet homunciones ac pigmæi, quotquot hujus reginæ imperio ſubſtracti, prauis motibus in illicita per anfractus vitiorum abripiuntur. Latius regnes, ajebat Poëtarum ille quiſquis eſt,

Poteſtas.

Latius regnes, auidum domando
Spiritum, quam ſi Libiam remotis
Gadibus jungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Et ſi geminatæ authoritatis vis major,

Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
mœnia.

Reuera enim quæ vis, quæ fortitudo, quæ victoria quæ poteſtas, quod imperium quam in virtute?

Sapientia.

Sed fortè ſapientiam requiritis? virtus mera ſapientia eſt; nec certè melius philoſophiã, hoc eſt ſapientiæ ſtudium depinges, quam

cum virtutis culturam appellaueris. Teſtes vos appello magnos vtriuſque æui heroas, quibus vtraque ex æquo virtutis & ſapientiæ gloria coronas nectit. Teſtes præſtanti ſanctitate viros, muliereſque innocentiſſimas, qui per virtutum gradus Deo ſcientiarum Domino appropinquantes, ſingularis ſapientiæ radijs, ab illo luminum patre meruerunt illuminari.

Omitto recenſere ſingulorum nomina, vt conſilium inſinuem virtutis; eam videlicet, maximè volũtariam eſſe debere. Cum enim ea perfectio ſit animæ rationalis, hujus ſanè debet intellectu dirigi, voluntate imperari. Quo enim pacto tot tantaſque dotes mereretur, niſi à voluntatis manaret electione, quæ omnis omnino meriti fons eſt & origo? Quæ (ſi recte mens meditatur) cauſa eſt, cur ratione deſtitutis nullo pacto conueniat, ſed hominis propria ſit; vnde nomen traxiſſe facilè autumarim, cum virtus à viro natiuo fluxu videatur deriuata. Appetitus.

Verum quoties mihi virtus nominatur, non illam volo quæ corruptiſſimo hoc æuo fucos. Veritas.

facit,& mendaciſſimis præſtigijs plerumque vulgi oculis imponit. Quam enim heu, multi: etiam in meliorem ſortem allecti, ementito perfectionis colore, genuina virtutis liticamenta diffamant.

Fallit enim vitium, ſpecie virtutis & vmbrâ.

Vnde opinor, vnicus ſanctimoniæ author ac magiſter Chriſtus, toties Euangeliſtâ referente, acerbiſsimo ſermone in Scribas, inque Phariſæos inuehitur; quippe qui ſimiarum inſtar, à Deo, & à veritate alieniſsimi, ſub perſonato virtutis vultu vitiorum mendacia celabant.

Quanquam vbi ſemel ea hypocritarum vmbra euanuit, dici non poteſt quam natiuis, quamque ſplendidis gloriæ radijs ipſa ſibi reddita, circumquaque illuceſcat. Luna eſt proprijs, non aſcititijs luminibus ad miraculum coronata; præ cujus ſplendore caligat quidquid alienis radijs ſplendeſcit; Illudque opinor, diuini vultus lumen eſt, quod humanæ menti velut ſigillo impreſſum, regius ille pſaltes deſcribit. Gloria.

Nam quæ amabo, à beſtijs inanimatiſque

differentia, quod discrimen? si sigillu- vir- respectiua.
tutis cancellas, cujus nobilitate velut regio Differetia.
stemmate insignitur. Animalia certè ventri
ac pabulo nata cum sint, vnus homo est qui
virtutis sublimitate euectus ad D.O.M. ima-
ginem, sic ratione destitutis antecellit, vt
beatâ quâdam Angelorum communione,
& affinitate glorietur.

Virtus est quâ homo diuinum illud animal, Maioritas.
summique Dei vicarius inferioribus impe-
ritat, superioribus jungitur, æqualibus mo- Æqualitas
rum similitudine charissimus, simul ac cla- minoritas.
rissimus efficitur.

Atque vt amicitiam homini virtus conciliat Contrarie-
cum beatis mentibus, ita teterrimis impuris- tas.
que dæmonibus aduersatur, qui toti in vitio-
rum criminumque luto volutantur.

Iam vero si virtutis majestatem altius libet
inquirere, principia illius Deus imprimis, Principiũ.
Christi deinde gratia, cum liberâ hominis
voluntate tam præclari fructus excellentiam
vel à radice commendant. Tum medium es- Medium.
se virtutem cum principe Poëtarum cogita-
bis, quòd extrema inter se vitiorum oppos-

Finis. ta admirabili nexu conjungens, nos Deo cõpulat, vt finem assequamur in æternitate fœliciſsimum.

Inrerroga-ta. An ſit. EX QVIBVS facili negotio, ac certiſsimâ conſentione quiſque inferre poteſt, quam à veritatis tramite delirent neſcio qui emotæ mentis homines, qui an virtus in humanis exiſtat, in dubium audent reuocare. Cæcum hominum genus, & in luce meridianâ caligans; quod non aduertat ſolem eſſe facilius in cœlo extinguere, quam de virtutis præſtantiâ inter homines dubitare.

Quid ſit. ÆTERNA obſcuritate damnandi, qui ignorant auream hanc eſſe mediocritatem, quam qui tenuere beati. Vultis, ô boni, totam in

Qualis. oculos immittam? ſi qualis ſit quæritis, omnibus perfectionis partibus abſolutiſsimam

Quanta. demonſtraui: ſi quanta, cujuſque æui? nihil

Vnde. primum habet, nihil ſecundum, ſed perennat gloriæ in æuum victura: ſi originem? Dei

Quare. authoris excellentia, virtutis nobilitatem il-

Quando. luſtrat. Data namque ab eo eſt mortalibus jam à mundi cunabulis, vt nos deducat ad

Vbi. duraturam cœlorum beatitatem. Vbi viuida, ſemper-

ſemperque vigens virtutis ſpecies ; cujus imago hominibus in terris communicata eſt , vt eâ vtatur velut actionum omnium quæ laudem merentur, generali prorſus admirabilique inſtrumento.

quomodo.

Concluſio circulus ſillogiſticus.

LVDICRVM DE AQVIS POGVENSIBVS.

Per 36. Terminos Artis Lullianæ.

Introductio.

AMœniſſima hæc ſolitudo, in quam ſuprema nos deduxit Numinis prouidentia, tot voluptatum lenocinijs abundat in noſtram felicitatem: vt ſola humaniſſimi conſortij tui ſuauitas, gaudiorum cumulo deſideretur. Nam dum ſcaturiente aquarum vi ſitis extinguitur, non alio quam rationis ac medicinæ juſſu imperata: animi noſtri vigor erectus ad auguſtiora, è perenni illo fonte fœliciſſimè aue recreari, cujus origo à cœlo eſt, riuique refluunt in

Propoſitio.

æternitatem. Et certè præter ista qui partem hominis nobiliorem attingunt, pari cum Iudæis crimine mannæ cœlestis edulia fastidientibus, condemnandus esset, qui non amaret celebraretque remedia hæc præstantissima, sanitati corporum à Deo felicissimè instituta.

Quis enim amabo, à veritate adeò alienus negarit, supremum naturæ autorem ejusmodi mineralibus aquis, BONITATEM infudisse sanè præstantissimam; cum eximias in illis qualitates, singularesque effectus quotidiana probet experientia? Mira quidem illarum mixtura, & inclita beneficia sint necesse est, quibus tot vndequaquè illecti homines, ad fontem aduolant, sanitatis vsurâ viæ longioris ærumnas compensaturi. Quod si illarum dulcedo alicui miscetur acrimoniæ, palatijs delicatioribus ingratæ: annom gustus acerbitatem diluit, ne quid amplius dicam, honos voluptasque insignis quæ cóporatores habet in Gallià Principes, in Ecclesiâ Pontifices? Illi quotidiè statim atque orientis solis radij secretam energiam indi-

Bonitas.

der', gregatim certatimque tot miraculorum fontem coronant. Tum capacibus & vndantibus ſiphis, celeſte nectar diffundunt in ſtomachum tantâ cum voluptate, vt infinita propemodum aquarum quantitas vires reficiat non imminuat, appetitum excitet non generet faſtidium; minuſque jam nauzeat ſtomachus ad continuata pocula, quam ſpe ſanitatis æbrij innocentiſſimè tripudiant.

Magnitudo. Beneficium meo quidem judicio eo magis adorandum, quo major illi cum naturâ affinitas eſt, minùs emitur, minùs conſtat; nec corporum œconomiam ſubuertit, quod miſerrimè faciunt venenata illa mangonum condimenta. Imo verò homini integro vitam præſcribit feliciſſimam, dum corpore à morbis, animo à vitioſis affectibus immuni, vtrumque florenti ac vegetâ ſanitate beat, citra quam mortalium vita cathena erit malorum implicatiſſima. Quo circa præclarè admodum veteres illi ſapientiæ coriphæi, humanæ felicitatis partes ita effinxerunt diſtinxeruntque, vt tametſi diuitiarum, ſpecieique

ſplendor plurimum habeant commendationis: ſummi tamen boni titulis careant, cum præcellat ſanitas majoribus etiam votis præoptanda.

Et verò tantæ aquarum vtilitatis magnitudo quæ tam ex natiuâ virtute, quàm aliorum paritate naſcitur, eo maximè lucet, quo perdurat æuo longiori. Annon videmus importuni morbi languoribus, vel exquiſitæ pulchritudinis roſas & lilia marceſſere? Nonne impotens eſt anxius in languido corpore animus, aut jacentem familiam erigere, aut caducam labentemque continere? Miraculum eſt, mentem vigere in membris macie & langore confectis; cum ea ſit principis Apoſtoli diuiniſſimi Pauli prærogatiua, in infirmitatibus gaudere, vincere, triumphare. Hæc porrò feliciſſima vnda, vigorem hominibus inſpirat vſque adeo duraturum, vt deinceps in publicis, inque priuatis rebus ſumma quæque poſſint & aggredi, & perficere. Neque verò ementiti balſami medela eſt, quâ vno aut altero die adlabens paralitici vis, ad ſepulchrum animatur. Multo minus pharmaca Duratio.

in Æsculapiorum scholis exoleta, quibus delibati morbi succrescunt, velutque succiduæ arbores repullulant.

Aqua hæc quam miraculosam appellare formido non est, tot pollet virtutibus ad morborum eliminationem, vt vim secretam in membra abditissima, cæterisque medicaminibus imperuia suauissimo lapsu diffundens, stomachum emundet, jecur refrigeret, splenem, mesenterium, reliquasque humani mundi sentinas, adnatis sordibus perpurget. Diceres profecto in orbe majori flumina, quæ hùc, illucque terrarum molem irrigantia mercaturam alunt, portoria fouent, prouincias temperant quas erratico cursu alluunt, camporum planicies fœcundant; quid plura? terram colluuie & sordibus liberant, quæ alioquin tota foret camarina, vel sæua Mephitis.

Sapientia. Atenim stupendum reuera, aquæ hujus virtutes ad mentem vsquè deriuari. Nequè vrgebo quod neminem latet, animæ scilicet angore & tristitiâ languidæ, hâcce corporali medelâ spiritus reddi, vires reparari. Annon

Deus bone! vera vetus paræmia eſt, mentis lumina eo puriora, quo magis ſicca ſunt? Atqui publica vox eſt, exſiccans iſtud remedium obeſos homines quorum Deus venter eſt, ſic leuigare; vt animus corporeis vinculis exemptus, cœlorum inſtar ſereniſſimâ temperie, puriſſimiſque ſplendoribus eluceat. Quanta vero voluptas, quantiſque votis exoptanda, dum mens terrenâ contagione immunis, euolat ad cœlitum cognationem? neque membrorum clauſtris retinetur, niſi vt in hominum ſocietate Angelorum virtutes repręſentet. Majora ſuperadderem, niſi eſſet metus ne in hoc limpidiſſimo fonte velut Oceano, noſter ſermo naufragaret.

Appetitus.

Virtus.

Satis erit properanti albo notaſſe lapillo, puriſſimam illam virtutem, hujus fontis margini præcipuè adnaſcentem; cum ſapienter dictum ſit ab antiquis. Muſas, clarius eloquar, doctrinam ac virtutem, nimphas ſimul & limphas ex æquo deamare. Verbo dicam, cupidinis ignes non alio melius quam aquarum frigore extinguntur.

Veritas.

Verum vt cætera deeſſent patrocinia verita-

tis quam ad te scribo, tot populorum experientia fontis nostri laudibus fauet, quot inibi hauserunt sanitatem, quam secundum virtutis studia habere in amoribus maximè debent. Quo minus demiror vereres illos, qui religione ducti, anniuersarijs festiuitatibus, fontes sertis ac floribus coronabant, vt simul aquarum beneficia, hominumque gratitudo celebraretur. Quod si testium instaurata multitudo rei cujusque veritatem firmius euincit, mecum rependas obsecro, quot in omni gradu & ætate viri, miracula quæ perstringo, apertè profitétur. Cui enim mirum non sit, aquas cæteris simillimas, frigidas, humidas, terræ meatibus interfluentes tot aliunde miraculis claresccre, vt hebescat ingenium in eorum admiratione, quorum causam ignorat. Cogita si lubet, & memoriâ reuolue diuersissimam aquarum varietatem, quæ vbiquè videtur effusa. Aquas quæ supra cœlos sunt Scripturæ memorant Canonicæ, Pogüenses hîc molli vndâ ludunt in terris. Natura commendat eas, quas sol radijs in mediam aëris regionem eleuat; ve-

Glória.

Cõcordia.

Differẽtia.

rum

rum quot procellas, tempestates, fulmina, diluuia, inundationes pocreant? quarum hîc pingo miracula, ita omnibus prosunt, vt nemini noceant. Insaniter haud dubiè, qui maris fontiumq; beneficia negaret, cum aquarum vtilitas & maxima sit, & communissima: sed judicabit vel mediocriter prudens, hasce minereas potiori jure præferendas, vt pote quæ sub acido gustu incredibiles thesauros complectuntur.

Quidquod sibimet oppositæ videri possent, dum naturâ ipsarum immutatâ, sanitatum genera efficiunt sane diuersissima. Panacæam Poëtæ fingerent, Catholicon Chirurgia assereret; verum quando sacramentum est, simpliciori sermone veritatem profiteri, morborum omnium medelam audacter appellabo. O Deus immortalis! quam mirabilis reuera es, in aquarum naturâ ac virtutibus! His meis vidi oculis pinguedine suffocandum, propediem emaciari: ictericum verò & tabe confectum, succo & sanguine abundantius reparari. Fluxus intempestiuos comprimi, nimis lentos maturari. Contrarietas.

Principium Ne interim quæso, vanâ curâ à me scisciteris, quonam principio fluant oppositi effectus. Omissis enim medicinæ conjecturis, quæ Pogüenses aquas componit ad libitum ex commistione ferri, sulphuris, chalcãtis similiumque mineralium, tandem cogitur ad occultas influentias velut ignorantiæ asilum confugere; miraculi causas in supremum totius naturæ auctorem refundere satius puto.

Medium. Quippe qui ad nominis sui gloriam sempiternam, in molli & fluxo elemento per tubos subterraneos diffuso, vel abjectissimis è plebe remedia aperuit, aduersus morborum examina, quibus ærumnosa mortalium vita passim infestatur. Quod quidem nostrum dispensat calamum, à longiori disquisitione in hujusmodi aquarum originem; cum id solius præpotentis Dei munus sit, qui has longè nobiliori effectu dotauit, quam vulgares aliorum fontium, fluminumque. Ac licet minoris dignitatis sint quam beata illa Flumina, quibus irrigatur cœlestis Ierusalem: eâdem tamen virtute pollent, quâ Spadenses, alique passim in orbe Europeo, antiquis

Finis.

Majoritas.

Minoritas.

Æqualitas.

nuperisque auctoribus commendatæ.

Quæ profecto omnia hominum mentes sollicitant, ad gratiarum actionem erga supremum illud Numen; quod ita in cœlorum æternitate beatis fons est inexhaustæ felicitatis, ita in hoc terreno orbe gratiarum scaturigo est animabus recreandis, vt voluerit etiam corporibus in elementari naturâ fontem sanitatis aperire. Adeo vt si mortalium sapientissimo licuit olim, verbum Dei fontem in excelsis nuncupare: fas quoquè modo sit in humanâ quam assumpsit naturâ, cum eodem Salomone, puteum aquarum viuentiũ appellare. Annon depingitur Christus ita beneficiorum diffusione exundans, vt de illius plenitude cœlestes spiritus gloriam hauriant in cœlis, iusti verò in terrâ sanctitatem. Hanc effundunt velut diuinissimi canales Sacramenta, quæ fides Catholicorũ septem agnoscit. Atque vt corporea spiritalibus famulentur, gestiuit in naturalibus aquis imprimere miraculorum argumenta. Eo namq; beneficio fruuntur homines vniuersi, qui nectare hoc & Ambrosiâ potati ex-

Deus, Angelus, cœlũ.

Appetitus.

Homo.

Elementatiuum.

Vegetatiuum. perſuntur in dies, vires vegetari, non ſecus ac plantæ ſuccreſcunt aquarum irrigatione: facultates quas vocant animales reparari, dum puriores ſpiritus in naturæ officinâ elaborati, ad corporis ingenijque munia deſtinãtur: corporeas nebulas quibus obtenebreſcit imaginatio, diſſipari; totam denique humanæ molis fabricam, quæ ab illis facultatibus pendet, aptari velut inſtrumentum ad optima quæque præſtantiſſimum.

Imaginatiuum.

Inſtrumentatiuum.

An ſit. Habet igitur iſtud Niuernenſe territorium, non eliſios Poëtarum fontes fictitijs liquoribus manantes: ſed melius quam olim in Æſculanij templo, ſanitatis officinam. Puram putâ aquam fateor, & ipſi omnium oculi atteſtantur; ſed qualem, quamque virtutis immenſæ clamant rediuiui homines, qui votiuas & ſotericas tabellas velut in tholis delubrorum, fontis hujus fornicibus, tanquam voto rei deberent appendere. Luſit per hos dies è Poëtis vnus, lepidum ænigma cujus arcanum ſenſum vis ingenij tui acutiſſima, vide quæſo an poſſit penetrare.

Quid.

Qualis.

Quanta.

Aſpice quam facili miracula munere currunt,
Vt credas geminis ludere Numen aquis.
Principis hic fons eſt excreſcens principe fonte,
Mirum! nec diſpar nectit vtrumque decus.
Condita namque means per coctæ viſcera terræ,
Ebullit cunctis fons medicina malis.
Sic tu magne heros, generis ſpes tertia noſtri,
Nectareo populi pectora fonte beas.
An miſer? an felix, fonti qui ignotus vtrinque;
Hinc bibit æger aquam, pauper & inde ſitit.

Enim verò vt propoſitum finiendo, reſumam, innumera aquæ hujus beneficia ſatis Quare. apertè indicant ſupremi medici conſilium, Vnde. qui vt facilem corporibus noſtris medelam procuraret, animoſque tanti miraculi ſtupore raperet in ſui admirationem; has non minus quam ventos fluere permittit, ex ſuæ prouidentiæ theſauris.

Aliam enim ab hâc originem, facilius reperires in Nilo fluuiorum principe, quam in iſtis mineralibus aquis: quæ dum ignotis cuniculis, montibus nemoribuſque vicinis effunduntur, homines virtute ſuâ admirabili felicisſimè beant. Quod ſi par mihi eſſet po- Quomodo.

testas in tuæ vitæ momenta, ac vel minimo nutu obsequentissimo vales imperitare: votis huc te precibusque aduocarem, dum adhuc declinãtis æstiui solis calor, aquarum vi-

Quando. res excitat acuitque ad sanitatem. Expirat enim, crede mihi, major eorum virtus, dum longius deportantur. Hoc igitur loco, hâcque præsertim anni tempestate, proficuus est aquarum vsus; quas æstus hiemisque inclementia, fermè facit inutiles. Vel enim sordes hinc inde affluentes, natiuam aquis puritatem corrumpunt: vel ardentior canicula, minerales spiritus planè exhaurit Redde igitur te tibi, tot quotidiè ingruentibus negotijs extricatum; vt diutius frui vitâ tuâ publi-

Vbi. co omnium bono concedatur. Et dubio procul non paucos vacationum autumnalium dies, in incomparabilis remedij vsu consumpseris, quin statim præcedente debitâ præparatione, accedente viuendi moderamine, præsertim verò adjuuante Deo, qui vitæ necisque supremus arbiter est; eâ valetudine fruaris, quæ ingenuam deinceps confessionem exprimet; mortem, morbosque vbiquè

graſſari : vitam verò ſanitatemque , in hoc duntaxat ſeceſſu efflorescere.

Exemplum vtrumque leuidenſe, in virtutis & aquarum commendationem ſufficiet; vt intelligant obtuſa quæque ingenia, Lullianas præceptiones tantis difficultatibus obſitas non eſſe, quantas plerique imaginantur. Planâ ſerie 36. termini fermè producuntur, ne ſi variâ vniuerſorum mixturâ artificium nimis celaretur, non ſatis appareret quomodo vel infantiſſimi poſſint, de re quâlibet ex temporaneo facilique ſermone diſſerere. Quàm autem cuilibet procliuè ſit arcanâ terminorum temperaturâ telam oratio- Homo.
nis ordiri, breui demonſtro in hunc modum.

Quæſtio proponitur, ſit ne anima immor- An ſit.
talis? affirmando reſpondetur in promptu, Vnde.
quià delibatus eſt de mente diuinâ radius.

Cum enim beatâ immortalitate fruatur
Deus, ea numeris omnibus abſoluta minimè Bonitas.
eſſet, ſi nulli creaturarum communicaretur.

Quis autem tam nobili priuilegio inſigniri Maioritas.
debet, alius ab homine? hinc namque Ange- Minoritas.
lici ſpiritus ab omni interitu immunes, inde

ſublunare quidquid eſt, mortalitati quoquè obnoxium ; ſolus homo vtriuſque compendium, in æternitatis & temporis confinio poſitus eſt. Cœleſtem mundum intuere, incorruptibili naturâ dotatum, nuſquam ceſſat à perenni motu. Non inferiori iure homo cœlorum contemplationi natus, & eorum immenſitate major, à mortis legibus potiorem partem ſi attendas, debet vindicari. Hinc æternæ mentis cogitationes, quæ ſi à mortali principio eſſent non vtiquè aſpirarent ad immortalitatem. Hinc innatus ille vel abjectiſſimæ plebi, gloriæ & immortalitatis appetitus. Quorſum enim ædificiorum ſplendor, bellicæ virtutis decus, ſtudiorum fama, librorum elucubratio, liberorum propagatio, ſuperſtes demum in medio mortis ſinu pompa monumentorum, niſi tacita naturæ vox mortalibus vniuerſis proclamaret immortalitatem ? Quidquod ſi animus hominis eundem cum beſtijs ſortitur vitæ exitum, ruit omnis virtutum diſciplina. Belluino enim more ſeruiet quiſque libidini, feretur in illicita ; & cum nullus ſuperſit vel pœnarum metus, vel præmiorum

Cœlum.

Quare.

Sapientia in effectu.

Appetitus.

Gloria.

Virtus.

præmiorum ſpes in æternitate, rarus eſt qui pietatem colat aduerſus Numen, juſtitiam inter homines exerceat.

Eo igitur modo non difficulter perennatur diſerta vbertas; quam vt erudita euadat eloquentia, ſucci & ſanguinis plena, alijs præceptis, alijſque inſuper exemplis indigere, pace Lullianorum dixerim noſtra dudum opinio eſt, & nos alibi oſtendimus. Placet interim vnum & alterum exemplum, cum perfecta ſecretaque Terminorum & Figurarum mixtura velut totius operis coronidem ſubjungere; quãquam ſtilo non prorſus emendato ſed qualem prima ætas atque artis hujus elementa ferre queunt; Major enim ſtili cura, animique contentio ſolidioribus merito debent reſeruari.

PALATIVM PHILOSOPHIÆ.

Cui fundamenta Moralis ſcientia, corpus & parietes Phiſica, tectum Metaphiſica, architectus Ariſtoteles, Genius tutelaris primus Regẽs, Atrienſis ſeu introductor diſcipulus.

PRO INAVGVRATIONE.

Si miras fallaciarum ambages nectere quæ

rudiorum animos deludant, prima nos Philosophiæ rudimenta docuerunt: Patiemini opinor (N) tamerſi in ejuſmodi præſtigijs ſolerter eludendis verſatiſſimi, vt primâ artis meæ induſtriâ & contentione animis veſtris errore mihi æque ac vobis fœliciſſimo illudatur. Nẽpe blanda quædam nec ideo tamẽ vituperãda curioſitas in hoc ſapientiæ delubrũ vos indequaq; conuocauit me vt oratorem haberetis quẽ reperietis artificẽ. Expectatis ſi bene vos noui inuẽtionis acumina, poſitionis delicias, pigmenta laſciuioſæ elodiſcutionis, en dare lubet fundaméta, parietes rectum, archimentis ornamenta; acceſſiſtis auditores, ſpectatores volo. Papæ quam viſendâ artificij ſtructurâ exurgit in cœlum moles, luparam credo, quæ cœli clementia, ſoli bonitate, circumfuſa hinc inde aquarum irrigatione, hortorum amœna varietate Luculli domum, Theatrum Pompei, Epheſi Templum, Piramida Ægipti, Iouiſque adeò ipſius Capitolinum pulchritudine ſic prouocat, vt ſi perennitatem ſpectes, fundamentis nihil firmius; ſi decorem, parietum in-

cruſtato opere nihil ſpecioſius; ſin demum majeſtatem admireris, nihil coronide ſublimius vel mente concipi queat, vel oratione explicari.

Eat jam vana ſuarum rerum jactatrix antiquitas, mihi certè præſentique orationis inſtituto elegantiſſimam illam Poëtæ elegantiſſimi delineationem veritas adjudicabit

Barbara Piramidum ſileat miracula memphis
Aſſiduus jactet, &c.
Vnum pro cunctis fama loquetur opus.

Atenim ne diutius ſuſpenſos vos detineam, Philoſophiæ palatium eſt, quod veſtris modo oculis ſubijcere ſuadet reginæ quã ' ce-ce biennio coluimus majeſtas, operis pulchritudo, veſtra omnium merita, meæque debitæ ſeruitutis exolutio.

Aſpicite igitur ſi me amatis, imo ſi veſtram Diuam, inſpicite, introſpicite quod in imo jacet fundamentum, Moralis eſt diſciplina, cui nimirum ſuperſtruuntur gratiſſimi ſcientiæ naturalis parietes, porticus, aulæ, gradus, thriclinia, cameræ, donec totum opus veluti tecto Metaphiſica coronetur.

Neque verò Moralem Philoſophiæ partem ſacri hujus Palatij fundamentum meritò à me appellatum inficiabitur, qui attẽta mentis cogitatione ſecum ipſe reputarit omnes omnino ſtudiorum, ſtudentiumque conatus ac labores vt cum virtutis cultura mirum quantum efflorescunt, ita ſine ejuſmodi fundamento vanos eſſe irritos, & quod omnium inſtar eſſe debet æternam animæ ruinam meditari. Stupenda quædam domorum ædificia ſpectris nobilitata anus ad focum, aut amatorij quos vocant libelli belliſſimè fabulantur; at nugas eſſe & quidem nugaciſſimas, lepida inquam hominum vigilantium ſomnia quis neſciat, niſi adhuc puer aut jam capularis ſenex in delirij vt mortis confinio conſtitutus? Certè otioſæ mentis figmenta ſani omnes dijudicant, quia in ventorum imperio in chimærarum regione, in aëris ſoliditate, verbo dicam, quia nullibi, & abſque fundamento eſſe finguntur. Haud ſecus vaniſſima mihi videntur illorum hominum ingenia qui vt monebat Iuuenalis morum cenſor æquiſſimus, ſpecie virtutis & vmbra de-

cepti, neglecto imo etiam per ſummum nefas conculcato virtutis ſtudio, ad ſupremum ſcientiæ apicem honoriſque faſtigium audent ſi dijs placet aſpirare. Quaſi verò non intelligant bipedes cerebro vacui, pietatis ac doctrinæ tantam eſſe communionem, vt illa ſi deſit, & hanc quoque neceſſe ſit interire.

Longè profecto alia mens oratorum inter Chriſtianos Principi Chriſoſtomo, qui in antiquis etiam Philoſophis venerabilem quandam virtutis imaginem & agnoſcit, & verò ad noſtrum omnium dedecus fatetur glorioſiſsimè. An erupiſſet vnquam Tullius ille Cicero, in aureum iſtud proloquium dig-
» num homine Chriſtiano; Nullum bonum
» Philoſophia præſtabilius neque datum
» mortalium generi Deorum conceſſu, neque dabitur; ſi non intellexiſſet qua erat rerum notitia inſignitus, nuſquam melius poſſe inniti rem literariam quàm virtutum baſi ac fundamento. Hęc igitur prima quaſi animorum noſtrorum velut ædificij paratura, ad vnicum fœliciſsimæ beatitudinis ſco-

pum collimare, bona à malis ſecernere, hæc vt fugiamus, illa vt amplectamur, virtutum pulchritudinem cum perpetuo vitiorum horrore, noſcere, quærere, amare; & vos nimirum experientia poteſtis edocere, quanto cum animorum fructu & ſuauitate hæ omnes virtutum præceptiones in Morali academia tradantur, explicentur: quò certè reſpexit niſi multum me fallit opinio, princeps noſter Ariſtoreles, cum ſuæ noſtræque Philoſophiæ delectationes concedere non videtur puritate & firmitate admirabiles. Quid enim obſecro virtutis amœnitate purius? quid firmius Palatij hujus ſacerrimi fundamento?

Sed ecce meum ad ſe animum veſtroſque rapit oculos in ſui contemplationem innixa pietatis baſi parietum moles. Quo in opere diues rerum natura quidquid vſpiam eſſe pretio & admiratione dignum, ad noſtram vtique opulentiam videtur incluſiſſe. O ingens naturæ beneficium ac perenni ſæculorum memoria & gratitudine celebrandum. Quiſquis es, ô homo cui naturæ manu inſita

est ardens illa sciendi videndique cupido, nostræ scilicet Philosophiæ liberalitati gratias & habere, & agere debes immortales. Non enim vt aspectabilis mũdi hujus miracula contempleris, alis opus est quæ te aquilarum more in Cœlorum plagam euehant, non ceruinis pedibus vt tam inani quàm immani labore per asperas Cœli, soli, ac sali injurias naturæ arcana vestiget. Quid ergo? fingamus terrarum metatorem aliquem, cogitari libet veteris æui Ptolomæum aut nostri Mercatorem Cosmographica sciẽtia nominatissimum. Ecce tibi miro ingenij simulque penicilli artificio altissima montium cacumina, diffusas camporum planicies, & vapansa superne cœlorum conuexa; quid dicam amplius Europæ gentes, Asiæ diuitias, Africæ solitudines, & quidquid America celat incognitum breui & angustæ tabulæ delineatione ita circumscripsit, vt fermè in punctitio tipus appareat vniuersi. Non absimilis equidem Philosophiæ nostræ industria quæ quidquid natura habet dispersum colligit, quidquid reconditum aperit, quid-

quid inuolutum euoluit, ne multa quæcumque scire beatitudo est, ignorare miseria, breui Phisici auditus compendio ob oculos proponit. Vererer abuti vestrâ patientia (N) si in singularum partium contemplatione vestros oculos animosque mea detineret oratio; semel dixisse satis erit in hac parietum fabrica, non minus quàm in Lapideis marmoreisque ædificijs, omnia sic ad libellam & perpendiculum esse explorata, vt nihil hiet, nihil protuberet, anguli æquis partibus coëant, nihil deliret amussis. Quanquam artis & naturæ summam eminere crediderim in hoc quod videtis speciosissimo columnarum ordine, quarum aliæ jonicâ doricâue structurâ ad vnguem expolitæ ac complanatæ sunt, aliæ obliquâ inflexione sese in altum erigunt, omnes omninò Phisicarum disputationum emblematis incisæ ponunt in aperto, quod inter totius naturæ arcana conciliare potest admirationem. Hîc videas materiam primam ex nihilo suæ entitatis fermè inuisibilem, illic formarum decus ac perfectionem, hinc locorum temporumque

porumque ſpatia ac dimenſiones, alibi rerum vniuerſarum ortum interitumque, proprietates elementorum, mundi fabricam, cœli amplitudinem, terrarum orbem, & quod in eo ſceptrum tenet examina & corpore hominem Dei ſimulachrum; vſq; adeò verum eſt quod initio promiſi me demonſtraturum hanc noſtram Philoſophiam non arbori comparandam, vt fecit Nazianzenus, non montium cacuminibus vt Seneca, non theſauris vt Picus ille Mirádulanus, non demum vt Iudæorum diſertiſſimus Philo pomari amœnitati in qua arbor ſit Phiſica, fructus Ethica, ſepes Logica, ſed Palatij maieſtati quod ſtrato virtutis fundaméto, rerum naturalium veluti parietum fabrica eminés, tandem ſublimi Metaphiſices faſtigio coronatur.

An non ea mens erat Platoni qui à rerum cognitione diuini nomen eſt indeptus, cum 7. Reipub. vocat apicem doctrinarum & omnium diuinorum finem? in qua quidem Metaphiſica, demirerne magis ſubtiliratem an ſublimitatem, ſtatuere vix queo; ſubtilita-

tem certè ex eo liquet esse maximam, quod vel ad illius nomina simplicemque terminorum prolationem hebescunt, pleræque etiã eruditorum mentes; nisi sint acutissimæ. Vbi enim quæ omnem sensum longè exuperant dilucidæ explicationis beneficio quasi oculis subijcienda sunt, vbi quæ sunt summâ vnitate simplicissima partiri debemus, generis, differentiæ, substantiæ, accidentium naturam definire, ens, essentiam, existentiam, ac subsistentiam secernere, vbi cujusque entitas ex sex generalibus particulis componenda est, nemo est qui non fateatur obtusa plebis ac rusticorum ingenia Metaphisicæ materijs nunquam fuisse consecrata. Aquilæ palmaris gloria est alarum remigio in cœlum euehi, vt splendidissimos solis radios obtutu contempletur, nec minus naturæ, imo prouidentiæ singularis prærogatiua, ea quæ plebeis hominibus, nec de nomine quidem nota sunt subtili mentis indagine ita assequi, vt videamur intueri.

Quanta porrò sublimitas quasi fastidium sit rerum naturalium contagioni adhærere, au-

daci mentis impetu ſupra omnes terminos euolare, vt quæ cæteris mortalibus abſcondita ſunt, anticipatâ vt ita dicam felicitate contemplemur. Nam reuera ſi ex Doctoris Angelici verbis ac ſententia, rerum quæ ſub cognitionem cadunt objecta, nobis non datur intueri, niſi aliquo tandem modo cum illis conjungamur: ſublimis erit beatitudo rerum quas docet metaphiſica altiſſimarum cogitatione occupari. Ea propter principes olim ſapientiæ profeſſores Socratem, Platonem, Pitagoram, Mileſium, Thaletem, ac reliquos heroas ſpreto hominum conſortio, negotiorum turbis, rerumque publicæ adminiſtratione in prærumptis montibus, remotiſque ſolitudinibus abdidiſſe ſe accepimus; vt jucundiſſima ea contemplationis ſublimitate affatim fruerentur. Teſtem appello omni exceptione majorem eum, cujus placita in ſcholis non aliter quàm Delphis oracula debemus venerari.

Hic mirum hic eſt ille ingeniorum apex, ſapienriæ magiſter, orbis miraculum Ariſtoteles, qui minimam cognitionem de rebus al-

tissimis, supremæ de minimis longè multum antecellere non dubitauit asseuerare. Sane siquidem hujus disciplinæ studio omnium motoris notitiam sic esse assecutum memorant bonæ fidei autores vt supremam morienti vocem hanc erupisse testentur, Causa Causarũ adjuua me, prima Causa te adoro, te inuoco. Decebat nimirum Aristotelem in supremi numinis confessione abire è viuis, quem dono singulari prouidentiæ mortalibus à Deo concessum nemo ambigit, vt disiectam hinc inde Palatij Philosophici luparam peritus architectus restauraret. Quid [illegible]s bone restauratorem appello ? quem constat primum firmissima scientiæ Moralis fundamenta ; eximia rerum quas suo natura sinu complectitur , indagatione æternitati columnas parietes erexisse , ac tandem augustissimo palatio beatam Metaphisices coronidem pro fastigio imposuisse. Te igitur ter magne Aristoteles sacri hujus semnæi quod Philosophiæ majestati dedicamus, nobilissimum architectum placet indigitare. Vos verò qui mecum sapientiæ misterijs hoc

biennio me felicius eſtis operati, manibus date lilia plenis, quibus videlicet noſter hic princeps & coriphæus gloriosè coronetur. Neque verò aberis multum ab hoc laudis & honoris cumulo (N) qui Philoſophici hujus palatij Genius tutelaris gazas illius & opes exquiſitiſſimas quotidiana eruditione nobis omnibus explicuiſti.

Atque vtinam exiſtat alter à me orator dicendi peritiſſimus, qui elegantiori opere & majori artificio quam tuo in nos amori & curæ debemus omnes, gratiarum actionem, poſſit efformare. Quamquam qui dignas pro tuis erga nos immortalibus beneficijs grates perſoluat ipſa ne quidem effingere poſſet eloquentia. Ego quidem qui in cæteris vt minimum poſſum, ita plurimum debere me fateor ſublata diſſoluẽdi facultate, ipſa debiti confeſſione contentus vt ſis, oro obſecroque & quod eſt in mea manu ad hujus Philoſophici palatij tholum appendo hanc grati hilariſque animi teſtificationem, quam nulla vnquam ſecutura ætas oblitterabit. Dixi.

PRVDENTIÆ DISCIPLINA hominis ætates, nationum indoles naturæ motus, conditionum mores & affectus ex Joannis Barclæi animorum icone; ad Artis Cabbalisticæ normas summatim expressa.

SOL astrorum Princeps, Cœli orbes; prudentia, hominis vitam regit simul ac illustrat; nempe in disciplina Morali virtutum Regina est, cæterarum Imperio nata; neque aliud humano generi concessum munus, quo diuinam in terris imaginem perfectius repræsentaret. Collucet in fronte nescio quis diuinitatis character, qui vicariam terreni hujus Imperatoris potestatem explicat, imprimitque creaturis inferioribus reuerentiam. Radium ego credi-

derim hujus primordialis animæ dotis, quâ ſolâ ſecernitur homo à brutorum contagio, propiuſque accedit ad cœleſtium communionem. Ratione deſtitutæ animantes ſagacitatem habent à naturâ, quâ futura longè certò que præſagiunt; ſentit hirundo rerum tempus, formica colligit autumni diuitias, & meſſes in ſuis theſauris recondit; Ceruorum Genus vulnera dictamine norunt curare, pſittacis, canibus, elephantis, vulturum ſpeciei num prudentiæ, ſcientiæ & rationis ſcintillæ inſit diſputauit autor Græco-Romanus. Enimvero quidquid illud eſt neceſsitatis non prudentiæ legem, naturæ inſtinctum non ſcientiæ documentum, cæcum paſſionis impetum, non rationis argumentum credere par eſt; quibus tamen primas quaſi prudentiæ lineas in ejuſmodi rudioribus tabellis ſupremus opifex adumbrauit.

Homo virtutum omnium ſicut creaturarum compendium, ſolus in ſublunari imperio prudentiam ſortitus eſt, quaſi jus paternæ hæreditatis. Certè enim parum dixerim, ſi affirmauero ſummam prudentiam ingenij,

ratas in cœlorum globis, conſtantiſſimaſque ordinis leges, quin etiam hierarchicas Angelorum partitiones, & munia perfectiſſimè imitari.

Longè nobiliori tàm principio, quàm exemplari gloriatur hominum prudentia; Deum enim vt autorem ſic habet & præceptorem. Is nimirum orbem quem potentia condidit, prudentia gubernat; nec modo cœlorum perpetuæ reuolutiones, reciprocationes elementorum, ſæculi & imperij conuerſiones, hominum ſollicitudo quæ patrem decet; verum quod mireris, minima quæque & abiectiſsima naturæ crepundia æternæ prudentiæ legibus adminiſtrantur. Autorem æmulator homo ſapiens, dum radio prudentiæ partim innato, partim meditatione & experientia comparato, partim & ſuperioris gratiæ beneficio, præterita reuocat in præſentis temporis eruditionem & futuri cautelam. Quidquid enim faciat; nunquam homini ſatis cautum eſt in horas; & prudentia vulgò audit ſecuritatis mater.

Dum publica pacis bellique negotia, priuatim

tim domeſticas reſque ſuas præclarâ ſerie & tenore, conſtantiſſimoque dirigit toto vitæ curriculo

Vnde merito tot antiquis de hac virtute præceptiones & ſimbolum prudentiæ nobiliſſimum; Canus ſenex Scipioni innixus, ſpeculi inſpectio, ſerpens denique cujus prudentia vel à Chriſto autore Euangelij commendatur. Quod itaque ſupremi numinis prouidentia, quod impreſſus naturæ diuini luminis radius, quod in virtutibus Theologicis lumen fidei eſt, quod in mentis cognitione mera ſcientia, quod in ſecretioribus miſterijs conſilium à Deo infuſum, hoc in Mo[illegible] diſciplinæ choro prudentia. Secreta naturæ intelligentia, & ſpiritus ille Architectonicus, ſeu melius Dauidico idiomate Spiritus principalis, qui cuncta dirigit, omnia diſtribuit, vniuerſa conſeruat, & adminiſtrat. Illa admirabili temperamento opera ſua exequitur, in pondere, numero, & menſura; Auream conſtituit mediocritatem, mediumque iter facillimum quo tutò itur ad aſtra, vt ſi vna abſit prudentia, cæteræ virtutes in vitia de-

generent; nam dum vitãt ſtulti vitia in contraria currunt; & qui auaritiæ infamiam deuitat, fortunas intemperanti profuſione dilapidat.

Incidit in Sillam cupiens vitare Charibdim.

Ex quibus facilè concludes illius acquirendæ vtilitatem, imò & neceſſitatem. Cum enim ampliſſimum ſit per omnia prudentiæ Imperium, nulla ætas, conditio nulla, illius diſciplinâ eximi debet niſi velit eſſe infeliciſſima. Ideoque ab ipſis incunabulis ſi id fas eſſet, addiſcenda, vt nobiſcum vltima maturitate conſeneſcat.

Quid enim amabo vel amabilius, vel admirabilius ſenectute illa Neſtorea, quæ non annorum numero, ſed prudentiæ experimentis computata, anteactas ætates memoria replicat, rerum vanitatem aſpernatur quia rectè noſcit, vitæ mortiſque pretium nullum facit, ſed à vitiorum dedecore abhorrens vnam virtutem, Deique cultum habet in amoribus, Rebus publicis, & obcæcatæ juuentuti ſana conſilia præſcribit; ad quã demum non aliter quàm ad publicum ora-

culum populorum fit concurſus. Hæc dubio procul ſenectutis corona in ciuili & caſtrenſi nobilior, lemniſcatæ gloriæ radijs ſupra miraculum collucens.

Porro ne tam excellens bonum ad quod totis viribus conniti debet in decrepitam ætatem amandetur, ne tum viuere incipiamus, cum deſinendum eſt, & prudentes euadamus cum ætas cogit delirare; virtutis omniũ excellentiſſimæ jam ab initio ætatis tibi cóparandæ leges & præcepta jam accipe ex latiniſſimi ſcriptoris opuſculo, quod vt ſimul doctrinam & virtutem capeſceres ad Lullianæ artis methodum collegi ſumma ſeq[illegible] faſtigia rerum.

Ea propter prudentiam in prima Figura S. reducimus ad literam R. ideſt inſtrumentatiuum. Eſt enim in Morali diſciplina organum organorum, quod de manu pulchrè dixit Ariſtoteles. Et K. jungendo cum E. in eadem Figura S. generalem propoſitionem formabimus in hunc modum. Nihil tam vbique ex omnibus diſcendum homini eſt, quã virtus prudentiæ vt potè ad omnia maxime

vtilis & neceſſaria. Tum deinde licet ampli-
ficari poſſet facta propoſitio, definiendo ite-
rum atque iterum quidnam prudentia ſit,
qualis, quare vtilis, quo titulo neceſſaria, quâ
ratione ab alijs virtutibus differat, &c. malo
proſequi tempus & modum illius addiſcen-
dæ, ſubjectum propoſitionis quod homo
eſt, diſtribuendo 1. Temporis ætates, 2. in
nationum indoles, 3. in naturæ motus, 4. in
mores conditionum vt ex illis omnibus eli-
ciatur prudentię ſtudium & diſciplina. Porrò
vnumquodque amplificabimus per quar-
tam Figuram (quod hactenus feci in pru-
dentiæ exordio) miſcendo hinc inde omnes
Terminos Artis Lullianæ; ſingulos tamen
indigitare, foret oneroſum; quiſque pro-
prio marte expiſcabitur.

Cum igitur rei cujuſque futura perfectio ab
initijs maxime dependeat: ſemina virtutum
prudentiæ imprimis, hominum mentibus,
jam à prima ætate ſic debent inſinuari, vt
deinde ignorent naturâ an culturâ ejuſmo-
di acceperint diſciplinam. Prima igitur in
puerorum inſtitutione cura ſit: vt ingenio

ab omni malitia alieno, parentibus præceptoribusque amicè obnoxio, numen venerentur nunc beneficio, nunc vindicta adorandum. Et ea quidem nequaquam atroci ratione ingerenda, ne conceptus à puero timor in odium desinat, aut certe fastidium; Amare enim virtutes vel sponte juuat: vitia vt monstrorum genus auersari; non quidem anxiæ pietatis superstitione, sed virili honestatis cupidine; pronam in praua naturam adhuc quæ cum velut ramus est cogi facilem, ad virtutis leges prudenter reflectendo: Nec vero importunum stimulos gloriolæ æmulationemque inter æquales inhge-
Mox sensim veluti ex captiuitate & prætextas, deducendi sunt in modestã prudentemque libertatem; quæ pueritiam suis studijs suisque exercitijs relinquat. Tum enim maxime indulgentiâ opus est, vt parentes amẽt magis quam metuant, studiumque literarum capescant, potius ad mutationem ludi quam ad fastidium. Cum enim ita sint homines à natura comparati, vt ingentibus malis fracti animum impleant suarum mise-

riarum contemplatione atque ſenſu; Id in pueris ſummo cauendum eſt opere, ne cum perpetui metus ſuccum abſorbuerint, quem ad laxandos corporis artus natura conceſſerat; qui ſupra pueros ſapuerant, poſtmodum infra decus virilis ſapientiæ delirent. Sed nec in infinita quoque libertate hæc ætas dimittenda, vt mediocri terrore ſupplicij, ſummaque parentum reuerentia, ſemper quantum ſibi liceat ignoret; tumens vero procacitas, curanda eſt ſeueriori parentum caſtigatione. Tum ipſa ætas paulatim ſtudia mutabit, virtutes adoleſcent, ſtudio non impetu amatur, ſuum ad adoleſcentiam crepuſculũ afferet prudentia. Imprimis vero felix memoria, quæ in pueris ſumma eſt, capaciſſima, & maxime pertinax, multis ſermonibus, mox vberi hiſtoriarum lectione, linguarum multiplici diſciplinâ excolenda erit; ſuntque tum maxime capeſcenda quædam omina creſcentium vitiorum, aut futuræ virtutis argumenta.

Excipit pueritiam adoleſcentia, idonea delicijs ætas, & inconſultæ fiduciæ; quæ vt in po-

ſterum proſpicere neſcit : ſic tum maxime pro cujuſque ingenio, in diuerſa abrepitur non vano aut diſſimulato impetu. Tum ardent cupidine laudis ; contumeliarum impatientiſſimi , non diu eadem conſilia probaturi: ſed enim futuræ virtutis indicium eſt non vltimum, ſi inter cætera ſtudiorum affectuumque genera aliquid vnum valde volent.

Sequitur deinceps virilis ætas, ita corpore ſimul vigens & animo, vt in hujus dumtaxat gratiam mortalibus lux conceſſa videatur. Ejus ſtudium tale eſt , vt cum primûm ab adoleſcentiæ caligine emittitur animus ante actis erroribus atroci cenſurâ judicans; vtili pœnitentia juuentutis ruinas emendare aggrediatur. Hîc opes ſatis auide congeruntur, amicitiæ ſimulantur, frœnantur prudentiâ animi impetus , plerumque virtus nec ſine præmio colitur.

Tandem cum ſanguini primum , mox ingenio , ſuum frigus ſenectus ſenſim inſinuat, aptam ſibi prudentia ſedem ſolet collocare, quaſi maturæ jam ætatis virtus hæc eſſet:

Nam quo minus corporis vinculis obligantur ſenes, eo purius futura proſpectant, ſapienter conſulunt, & quaſi à naturâ loquendi cupiditas inditar ſit, ne illi docere grauentur qui omnium optime poſſunt; inde juuenilis conſilij & præſentis æui deſpicientia, anxior cura rei domeſticæ, garrulitas importuna; quas maculas ſi abſtergis à ſenectutis prudentiâ, nihil eſt ad omne conſortium in vita commodius.

Enim verò non alibi magis demiranda varietas, quam in eo cujus gratiâ cæterarum rerum ornatus inſtitutus eſt tam diuerſus; namuis enim ad diuinitatis ſpeciem, compoſiti homines, in libertatem naſcantur: ſingulitamen ſuis affectibus, temporũ ſorti, ſeculorum genio deſeruiunt; quippe cum omnibus ſeculis vt regionibus ſua ſit indoles qua mortalium animi in certa ſtudia velut arcana quadam vi inflectuntur, vel etiam propelluntur. Hinc iſtud ſeculum Poëticis numeris illuſtre, aliud oratorijs floſculis illuminatum, illud armis ferox, hoc tandem altiſſimo verterno torpens, poſt modum felici

lici ingeniorum vigore excitandum; Ita sæculorum ætatumque discrimina, non forte melius ex siderum motu, quam ex humanæ mentis flexibili & in omnes partes versatili ingenio nascuntur.

Vt igitur de regionum populorumque indole pauca delibemus, sed formandæ prudentiæ maxime necessaria; An non Gallia soli bonitate cum felici incolarum genio decertat? Gens profecto armis strenua, verum equestri certamine validior, ignara perfidiæ, amantissima dominantis, apud quam ita regnatur vt verè nefas sit, quantum regi liceat, dubitare. Si tamen videris dominari, sed erubescunt: opes enim & ipse vilior honobus sanguis. Ast quàm indomitæ intra se molis, tam in exitium sui potens est, cum in exteros exundauit si victoria vti sciret: dum enim patriæ absentiam diu ferre non possunt, patrios respicere lares, obliuisci armorum primi impetus, tandemque læta bellorum initia sæpius corrumpere. Oris vultus totiusq; corporis habitus atque cultus non alijs mortalibus elegantior. Quamquam

vt deſpumant turbulentius vina generoſius adolitura, ſic iſtius gentis ad canam prudentiam factæ non alia magis incauta juuentus, vbiq; titulos nimiæ ſecuritatis nimiamque petulantiam adfectans. Hinc tametſi in exteris & hoſpitibus ſupra modum humana, animum in eis non patriam æſtimans, ſuis opibus augeri geſtiens, peregrini moris dummodo ſuperbia abſit, imprimis curioſa; In ſuæ tamen gentis homines ſiue extra patriam, ſiue & intra chariſſimæ parentis viſcera, quam ſæui & crudeles exiſtant, teſtes ſunt extera tribunalia ad quæ ſe in vltimum Galliæ dedecus vel ipſi conciues vocant, teſtes quoque ad ſingulare certamen fœdius armatæ manus. Sed hæc vitia quæ ſe Gallicæ indoli interſerunt, donare eorum virtutibus debes; maxime verò generoſiſſimo ſpiritui nec non politiſſimæ conſuetudini qua nihil in humana ſocietate jucundius.

Galliæ affinis eſt Britannia, quæ tam varios ciuium mores, quam littorum ſinus & nomina proferens, in vnius tandem imperij nomen, ſed non in vnius ingenij leges conceſ-

fit. Adeò enim ſoli vbertas cœlique amœna jucunditas Angelicæ plebis animos in otium exoluit, vt apud eam non vigeant artes mechanicæ, non agriculturæ ſolertia, non denique militaris diſciplina. Sed ſubitæ acies & vix octiduæ, ſurgentes adhuc crudaſq; lites dirimunt. Suſtollit verò tam ſecura quam ſpontanea felicitas vulgus opulentum, quod nec Patriciorum dignitatem reueretur, nec peregrinorum humanitate mollitur; hinc vnum quemque ex verbis & perſonæ grauitate accipiunt; omniſq; generis diſcrimina adeoq; mortem, impetu pluſquam judi[illegible] contemnunt. Seductus in ſe velut ad co[illegible] lium grauis ille animus Britannorum, [illegible] ipſum & ſuæ gentis mores, ingeniũ & men- tem eximie miretur, grauius tamen in religione & doctrina hoc vitio laborat; quippe qui ſemel imbutam de religione opinionẽ non facile deponat. Immo vero nulla tam prodigioſa opinio philoſophiæ, quæ non apud illos ſuum habuerit vel auctorem, vel patronum. Quale vero illud niſi vltimæ dementiæ & ſuperſtitionis faſtigium, ita reli-

gione & Numinis reuerentia moueri, vt non publico consilio, sed elusis per priuatas superstitiones animis nouam ac propriam pietatem plerumque sibi fingant, quam non auctoritate, non numero hominum, sed pertinacia sanciunt; A qua vt omnes sciunt abhorrere, sic vnos se rerum cœlestium participes, extorres cæteros omnes esse putant.

Atenim Scotia sceptro huic & solo conjuncta, Galliæ moribus vicinior est. Non his enim torpens desidiâ corpus, non stupidum ingenium, sed ad humanæ consuetudinis culturam facile, præceps ad omnia, ad iracundiam promptum, (quam tamen facile mitigant secundi impetus) quærere opes quam seruare felicius, siue inconsultæ liberalitatis motibus laborat, siue amat opulentiæ famam, in quæcunque studia inclinat mirifico successu inclitum, vt nec musæ delicatius habeant quam cum incidunt in Scotos. Corporis verò habitum supra multas gentes decentem: sed supra omnes militaris laboris & castrorum patientem, venatione exercent.

Porro ab vtraque hac Britannicæ insulæ plaga Ierna consuetudine & ingenio plane abhorrens, vtramque desidia & torpore non vires dissoluente, sed acuente, non corpus emolliente, sed ad bella durante superat: major illi deliciarum ignorantia, cui nec paupertatis nec inediæ, nec injuriarum, temporis aut viarum sensus; sed nobilitatis suæ titulis vbique velificatur, quos artificiis aut laboribus fœdari existimat. Non est ille populus animo ad vitia obstinato, sed acri ad prædam, furtum & omnis generis laborem venationem imitantis. Spontanea tamen plebeiorum hæc vitia, non insulæ fato tribuenda est. optimatum sincera fides mensque virtutis culturæ & auitæ religionis addictissima comprobat.

Germaniæ mores vt in pauca includam, verbo definiendum arbitror, candidas mentes, quibus placent aperti mores, quibus nihil adeo exosum quam omnis species blandientis, recondita, aut perfidi astus, quibus verecunda simplicitas pene ad muliebris pudicitiæ similitudinem accedens, ingentia scelera

vel ipso nomine celauit. Suæ illos virtutes exornant, sua etiam vitia deturpant.
A quibus non omnino consuetudine & moribus non omnino, inferioris germaniæ populi Batauorum & Flandrorum nominibus comprehensi aberrant; quippe his cœli soliique vitium ingenia depressit, bibendi intemperies stipauit. Sed tamen nemini vilium artium industria, mercaturæ & artificiorum sedulitate inferiores sunt: apud quos omnem ætatem, omnem sexum, vel publico sumptu si necesse sit, in tyrocinijs idoneus sudor exercet. Imo etiam si vni alicui disciplinam ingenium & vitam consecrant, pretium non vile commerentur.
De Italicis moribus quid proferam? An ne prudentiæ scholam in ea regione apertam? Quod olim de atticaquidam, non alibi atrociorē sicutā reperiri, vel suauius apes exuctis digestisque floribus cellas implere. Quid enim liberalius? quid nobilius? quid sanctius illa gente, vbi humanitas verbis exactæ Vrbanitatis & ad persuadendum aptissimis, effuse promittitur; vbi animus rerum om-

nium capax virtutem aut vitium erudite colit ; vbi verus amor omnia discrimina habet infra humani fœderis sanctitatem, vbi olim Martis, Suadæ & musarum domicilium quod vel etiam hæc ætas excoluit ; vbi mentes infra tristiorem prudentiam castigatæ vix sustinent jocos; vbi nullum curarum genus quod diuitias promittat, nullum humilitatis specimen aspernantur homines longissimi laboris patientes, vbi denique totius sanctitatis religionisque apex insedit. Quid vero si stilum manumq; vertamus, aut fœdius aut sceleratum magis excogitari potest? Illic venena, illic damnata libido (quorum cum orien-
talibus plagis communicatio, ne propria nujus gentis dicatur, prohibet) illic æmulationis & offensæ memoria non altissimâ tantũ mente reconditur, sed inter ipsa amicitiæ jura quam facilis ad vulnus, quam pertinax ad cicatricem animus plerumque tutiore fraude liuorem effundit. Adeo verum est ijs regionibus in quibus major humanitatis species cernitur, truciorem inesse animum sensim in sæuos ritus & barbaros atque in vltio-

nis ingenium degenerantem.
Sed enim Hiſpanicum tumorẽ in quem ſuæ naturæ ſponte naſci videntur animo repetens; illis video virtutum, illis & vitiorum fontem eſſe. Hinc enim ſi diſciplinam militarem, ſi totius reipub. adminiſtrationem ſpectes, corpus inedia, frigore, peruigilijs, abſtinentiâ & alijs militaribus exercitijs diu facileque exercent, vix tandem frangunt: hinc reconditæ illæ mentes ad lenta conſilia idoneæ, graues, peruicaces, cum pondere quodam elatæ, & vincere ſciunt & vti victoria, non ſubito effundere ſeſe in diuerſa, non facile abijcere quem ſemel inſederint locum, animos primum opibus, deinde numinis reuerentiâ, quam vbique prætendunt ſuas illi cupiditates ſtatim imputaturi, ſibi ſubijcere; ſi vero ad ſtudia literarum animum aduertas, ſane plus illis in vituperium quam laudem cóceſſere. Philoſophiam enim, Theologiam, Iuriſq; prudentiam nó pro dignitate & merito pertractant, cum ſtilo rudi & inculto multis voluminibus pauca complectantur, illaque ex auctoribus vt plurimum

mum decerpta. Denique quantum ad familiarem conuictum pertiner, sola in Hispano maxime ridicula jactatio; non illis pompa verborum gestuumque ingrata; ideo sermonum & amicitiarum exordia per speciem mitissimæ humanitatis adornant, quos enim ijsdem initijs adorsus fueris, succedentes ad fastum mutua majestate debes excipere.

Cæteras gentes vt breui epilogo simul concludamus, ab Italis Pannonij qui & jam Hungari appellantur, vix dum abhorrent; quorum vitia artesque secuti callidis & ingentibus consilijs parique audaciâ valent, si breui duntaxat & furtiuo imperu necesse est Abhis tam diuersi Illirici & Dalmatæ, quos jam nostra ætas Istros Sclauosque nuncupauit, quam in diuersorum jus sceptraque deuenerunt. Abs nostri seculi indole Polonia non parum decedens, cœlo soloque aspero & rigente duriorem vitam suis accolis ingerit, sæuioribus ingenijs prædita: gens ad ferociam & licentiam nascitur, omnis dominationis impatiens, sibi vel in religione tantummodo credens, sæuire quam decipere promptior,

& in ſuæ familiæ laudem tum maxime intenta, cum in exteros incidit. Quantum ab his qui proxime verſus Tartaros in Ruſſia recedunt etiam moribus abhorreant, quæſo ipſe conijcias: hæc enim natio ad omne libertatis veſtigium ferox, placida eſt ſi prematur; ita ad ſeruitutem facta, vt ne jugum abnuat quidem, ſed nec ipſos hoſpites apud ſe libere viuere permittat. Et vero (quod ſeruile vitium eſt) non alius nectendis fraudibus aptior populus, non ad literas ineptior. Quod vero mihi ſupra fidem videretur niſi eſſet regionis genius, nunquã melius ſuo judicio vxores ſe habent, quam cum in durum ac ſæuum conjugem inciderint.

Hinc ad orbem Antarcticum vergentibus Dania, Suedia, Nortuergiaque occurrunt; adeo olim in Europa formidabiles, vt nihil illis ſanctum, nihil intactum fuerit. Iam verò ita calido potu à vino igne expreſſo Ceruiſia, & vino ipſo obtuſæ, vt nec contumelias facere promptæ ſint, nec pati facile queant. Non à Germanica indole prorſus alienæ, niſi quod veneficijs infamis tota paſſim regio eſt.

Ne quid tandem de Iudaïco populo vagis erroribus diſſipato, vbique ſeruienti, nullius Prouinciæ potienti, ad omnem mercaturam ſtrenuo, corpore olenti, & per omne flagitiorum genus maxime vero fœnoris exercito dicamus; Ab his ad Turcarum ferum genus abire liceat, quod à Schitia recedens vniuerſo orbi barbarie moribuſque fœdiſſimis nimis quam dici poteſt infeſtum fuit. Rudes animos demiſſamque indolem, hinc ſcientijs mitigare, vel etiam excitare lege ſanxit Mahumetes: inde adeo ſibi ſeruire aſſueuit Tyrannus cui ſe ſuaque addixere; vt agros precarij jure tantum poſſideant, ad Principi[illegible] tum non fundos modo, ſed & Prouincias inu-
taturi: vt à præcipuis honoribus veteres ſtirpes amolitæ, puerorũ cœtus è Dalmatia potiſſimum ex Illirico miſerabili rapina parentum ſinibus abrepti, Turcarum Regi pro ſeminario Ducum ſint atque Principium, quibus vires Imperij, corporiſque ſui curam tradat. Arcus & ſagittæ olim præcipua Turcarum vis: ſed jam ocio & torpore languent; tãti ſcilicet non emunt fortes eſſe, qui vene-

no noxijſque artibus ſupra mortalium omnes vitam adimere nouerunt.

Verum enim de populorum moribus ſatis; jam vt prudentia omni ex parte efflorescat, varios ingeniorum affectus compendio perſtringamus, quos tam multiplices hominibus natura conceſſit, quam diuerſis lineamentis per ſingulas ætates corpora diſtinxit. Primi occurrunt illi quorum promptos ac faciles impetus non imperiti modo, ſed & interdum melioris literaturæ homines demirantur. Extemporaneæ ſubtilitatis illa ingenia, quorum pars maxima in priuatis & [illegible]ſis ſermonibus regnat breui nitidoque acumine. Altera propius ad eloquentiæ dignitatem accedens ſponte per omnium rerum ſeriem ſubita ac plerumque natiua oratione non tamen ſemper exacta decurrit. Aſt quæ in primis vt plurimum non longior ſapientia eſt, non altum & perenne ingenij flumen in his forte minime deſideraretur, ſi tam poſſent tacere quam loqui: ſed nimirum ille eſt arcani naturæ impetus, qui ea potiſſimum virtute vti omnibus animalibus per-

ſuadet, qua potiſſimum valere ſe præſentiunt: & quamvis debita vni prudentiæ bona hi tum maxime occupent, cum vim ſuam & vitia intelligentes habili fuco ſe tegunt; raro tamen ſpontaneæ eiuſmodi eloquentiæ vis Iudicij additur, quæ ſtilum æternitati poſſit commendare.

Stant ex aduerſo illa ingenia, quæ etſi tardam ægriuſque ſequentem orationem habeant, & ſicubi dicēda ſententia eſt quærunt quid ſentiant nec ſtatim inueniunt, aduocato tamen poſt modum animo dum ſe ſe ad meditandum reducunt, negotiorum vim idonea ſedulitate pertractant, verba concipiunt quibus ſe aperiant vſuque ſcribendi loquendi & viuendi ingenium acuunt, linguam & mores perpoliunt.

Inter vtroſque medij tutiſſime incedunt, quibus modica ineſt & tempeſtiua eloquentia in familiari vitæ vſu nitida, non hærens aut hiulca, nullatenus turbata; ſed cum tempus ſtudiumve acceſſerint, elegans, venuſta, verbis ſententijſque illuminata. Amplas vero mentes à reconditis hac nota diſcriminari

natura jussit, quod illis semper nitidum aliquid & nobile spirantibus, hæ interim retusæ in angustas cogitationes, ipsæ se damnét; nunquam à timida humilitate recedere, nunquam extra eam quam animo suo præscripserint regulam exorbitare ausæ, ad vltimam diligentiam exactæ sunt: quamquam enim ingens sui fiducia plurimos à Musarum aditis prohibuerit, cum suarum virium robur inconsulti spectantes, ijs eruditionis palmam permiserint, quos natura suis dotibus non illustrauerat, sed ad summam totius Reipublicæ literariæ gloriam idoneus assiduusque labor euexit. Cæterum quam turpiter errant, qui aliquod ingenium in magnis numerandum esse negant, nisi quod possit & velit literas capescere; ij facile conjecerint, qui formare ciuium mores, Consilijs Remp. firmare, eandem legibus regere virtutibusque polire humanæ mentis operæ pretium esse non omnino ignorant. hæc enim Philosophiæ, Iurisprudentiæ & eloquentiæ originem fecisse nemo doctus dubitabit.

Impauidæ ad pericula mentes adeo in boni

malique confinio pari discrimine constituuntur, vt in temeritatis & fortitudinis partes, ex solo plerumque euentu aut prudentiæ antiqua opinione possint æstimari. Cum vero tenere modum potest mansuetudinisque suauitate adornari, in clarissimam virtutem assurgit, quæ ipsa quidem ab indole cujusdam horroris reuerétiam inijcit secum agentibus, à moderatione autem sua amoris ac beneuólentiæ radios. Porrò magnum quid alieno periculo audere, humilis spiritus & adulterinæ audaciæ opus èst, non alijs ferme quam medicis, aut militiæ præfectis vsitandum. Atenim in suo periculo non terreri audacia, in alieno humanitas.

Constitit ex aduerso timiditatis ingenium, quod si in ignauos affectus trãsierit, omnem securitatis speciem adfectans, virtutibus ineptum est, publicis aut priuatis rebus inutile, seruis aut ciuibus suspectum cum in principum animos irrepsit: ijsdem tamen ad majestatis securitatem præsidium: si quis autem imbecillem affectum in virtutem ita cogere possit, vt fortitudinem consilio & prudentia

arceſſere liceat, prudentiæ magna pars eſt, vtilitatis quoque interdum pleniſſima.
In harum quaſi vicinia duæ è diametro contrariæ mentes verſantur, quas ſæpe (vt mortalibus nimis quam ſolemne eſt) dum vitijs noſtris ad blãdimur, in virtutum nomen adoptamus, à quibus tamen longiſſime receſſerunt. Nam ſuperbiam peſsimi ingenij fomitem, erectæ viriliſque indolis titulis admiſcemus: humilitatem qua nihil fœdius, humanitatis, rectæ ſimpliciſque Philoſophiæ. Priores jam vitiorum ſuorum, jam aliorum virtutum neſcij, dum laudem non tam quærunt, quam ſibi deberi reputant irrequieti, acres odio, mœrore, inuidiâ, alijſq; hujuſmodi animi motibus obijciũtur, rapiũtur, perturbantur, vbique ingrati, infideles, ad omnis amicitiæ ſpecimen inepti. Poſteriores vero dum nihil magni curant, his quidem magnis tempeſtatibus ſubducuntur: vtque non ad Imperium facti ſunt, ſic nec aliquid ſuis ſordibus, ſuisve cupiditatibus ducunt indignum; langorem veternum, torporem venantur; & ſi voluptatibus inhiant, partis

non

non vtũtur. Si honores appetunt, acquisitis non fruuntur: si superbia eriguntur, non alio motu atrocius impetuntur; pudore videlicet atque metu insanam cupiditatem cohibente, per quos tamen anxius tumor vt enititur, à se ipso pœnas exigit. Nulla tamen ingenia pejori judicio solemus æstimare, quã exerta semper aliquid temere meditantia, quibus reconditas mentes sapientiæ quadam imagine populos sibi conciliantes natura oppositit: quotus enim quisque est, qui arcano pondere sincera vel ficta prudentia suos sensus celantem, parcè nec aliter quam ex præscripto rationis loquentem, ad omne vitij nomen supercilium ducentem, nulli professo odio contumeliam aut facere, aut referre promptum, non suspiciat, non reuereatur, non sibi deuincere omni studio omnique artificio enitatur? Quis ergo contrarijs omnino, non virtutibus sed vitijs & coloribus expressum ingenium, perpetuo excitatum, desultorium, erraticum à se non amoliatur? Quanquam hæc lenta grauisque tranquillitas quam modo descripsimus, vitijs ex-

cipiendis eo magis idonea videatur, quo hominum impetus à labore in jucunditatem virtutis facilius deflectit, & ociosa solitudo in quam hæc ingeniorum sors procliuis est, cuique ni caueant fœdissime acquiescunt, omnium vitiorum fomitem subministret.
Est & aliud ingeniorum genus mira sed illaudabili varietate, cæterorum discrimina complectens: vtinam tam frœnum quam impetum illi natura addidisset; in omnibus nimium est. Pietatem adoriatur? supercilium induit non duraturæ sanctitatis. Libidine titillatur? non per gradus & reciprocantis actus vices, sed in contrarium acto torrente luxum repetit quem omiserat, voluptatibusque soluitur. Amat? sed à summi amoris consuetudine velut in extrema odij turbo aliquis præcipitem daret, amorem immortali odio commutat. Musarum suaui colloquio capitur? sed mox armorum exultans cupiditas & quæcunque præterea in contrarios motus hominum animos exagitant, illos rapiet qui se totos internæ cuidam suauitati permittunt, qua auspice quid fugiant, quid

ſequantur conſtituunt. Non iſta indoles virtutibus ſed virtutum initijs facta eſt, non Imperijs ſed Imperiorum præcipitio nata; cum nec ſibi imperare, nec cuicquam parere poſſit.

Ad extremum humanarum paſſionum & motuũ ap ex Amor, blanda eſt; ex irrequieta ſenſimque irrepens in animum ijs placendi cupiditàs, qui nobis ſiue ſorte, ſiue virtute, ſiue tãdem noſtro errore placuerunt. Quem vero ad amandum natura produxit animum, eum optimis & nobiliſſimis omnium qualitatibus prædituм eſſe neceſſe eſt; non immitem, non immodeſtum; ſed ſimpliciſſimi virtutis ſpeciem gerens, clementibus magniſque ſpiritibur adornatus: neque vindictam contemnere, neque iram donare ſupplicibus difficilis, pronus in pœnitentiam cum ipſe peccauit, humanitatis officia amans, impatiens ocij.

Vanum eſſet, hæc tam variè ludentis naturæ ingenia longius perſequi; in quibus nemo facilius errabit contra leges Prudentiæ, quam qui ex primis hominum Iudicijs de moribus

& tota indole judicare non morabitur. Quã multos enim Dij boni! frontis & totius corporis imago inexpertos decepit! imo nec ex vna virtute, aut altero vitio vniuersim de hominum moribus decernendum est: cum ad disciplinarum aliquam adeo felici ingenio quidam sint à natura comparati, vt in illa nulla prudentiæ signa requirantur, in cæteris omnia desiderentur. Næ ex ipsa consortij aut conuictus familiaritate non semper judicandum: quot enim videre est qui angustæ indolis imagine, sapientiæ nomẽ sibi fecerunt, quod alijs magnitudo laxioris naturæ detraxit.

Adhuc præterea viuendi sorte, fortuna, conditione, dignitate vel etiam humilitate, naturæ impetus animique affectus mutantur; & exactissima prudentiæ disciplina comparatur. Nam vt à superioribus ducam initium, quam diuersas mentes diuersæ ad fastigium viæ Principibus ingenerent, in eorum affectus inspecturus ex eo facile deprehendet; quod Tyrannorum vis sortis suæ vt plurimũ non genij vitio peccare soleat: illis necessi-

tas probitatem inſpirat, illis erectus ſemper ad omnia oculus, nunc vultum immodicè auſterum, nunc immodicè blandum facit; hinc ſpes diducit vano timore percitos, hinc atroces moleſtias felix ſucceſſus permulcet: ſunt illi in egenos effuſè liberales, fidem à nemine expectant, integritatis famam amoriſque in Rempub. nomen ambiunt: ſed vbi nimia timoris ſuſpicio eſt, quam omni ætate & memoria atrox & crudelis fuerit Tyrannica poteſtas, teſtantur hiſtoriæ. Contra vero juſtus Rex ſiue ſuffragis, ſiue naſcendi ſorte admotus Imperio; ipſa Majeſtatis conſcientia erigitur, pudetque ſceptro & diademate lib[illegible] potientem ad ignobiles motus, aut ſceleſta cóſilia demitti. Et illos quidem qui Comitijs ſuam fortunam debent, poſterorum quodammodo cura minime tangit, adhuc hac parte priuati ſunt: ideoque in has ſuæ familiæ curas ſæpe abſumpta perit eorum ſeduli-tas, qui publicis ante virtutibus imperare meruerant ſæpe vero in peiora abrepti aut veteris odii, aut æmulationis memoria ſuos mores corrumpunt, aut tandem æterni no-

minis cupidine nouas res moliuntur, magna audent, multa aggrediuntur, immortalem vt sibi videntur gloriam comparaturi, reuera tamen Remp. & imperia æternùm præcipitaturi. Non sic illi Reges qui perpetuam potentiam à parentibus adepti in stirpem suam eandem trasmissuri sunt. Optima sane hæc regiminis formula. Hoc vnum antiquum tibi esse cupio prudentiæ præceptum, optare bonos principes pietatem esse; etiam damnare nocentes, Religionem.

Optimates deinde qui à summo fastigio primo gradu differunt, duabus quasi classibus discriminantur. Quidam enim summa suaique amicitia principum animis inhærent: quorum ad placendum mens instituta esse debet; neue ex illo summo gradu fœdius prolabantur quam ascenderant, sæpius meminerint plus illos esse principes quam se amicos, non se Dominis præferant vel in minimis rebus in quibus aut excellere præsumunt, aut etiam contendunt, amorem vbique simulent si velint extorquere beneuolentiam; quando autem horum prima & as-

ſidua cura eſt locum quem ſemel obtinuerint inſiſtere, ſic proxima ſollicitudo eſt opes cumulare, dignitates & præfecturas adipiſci, quæ ſi à tanto faſtigio decidant, ad reliquæ vitæ ſecuritatem durent. Alij in quibus diuiſis Imperij curis Regum ſollicitudo acquieſcit, ita ad ſe trahere altas & ſalutis omnium curas ſolent, vt non tam Repub. egeant, quam ſuis officijs ipſa. Iſtud aſſequntur aſſiduo in hæc negotia ſtudio, alijs omnibus ipſiſque interdum regibus ſi poſſunt, ab intima rerum cognitione excluſis. Vultus illis vt plurimum ad grauitatem compoſiti, non promiſcui acceſſus, breuia alloquia: & ſi in perpetua negotiorum ſerie faſtidio non atteruntur, egregia ſane laude; ſi veſtigium in hac immenſa juxta ac lubrica poteſtate tenere poſſunt, rectæque virtutis meminiſſe, ſumma omnium veneratione digni ſunt; cœlum enim quod ajunt digito tetigiſſe videntur. At vero ſi ſe cupiditatibus & ambitioni permittant; non peculatus, non ſuperbiæ, non auaritiæ mala quorum infamia graues ſunt, ante de ſuis penetralibus exijſſe co-

gnoſcunt, quam illorum pondere obruantur. Interim eò negotia flectunt vnde potiſſimum ſuæ dignitati incrementum allucere ſperant, dumque res in quibus ſe plurimum poſſe confidunt omni diligentia exoluere fingunt, nouis nodis eas colligant, vt ex earum ſolutione plus gloriæ conſequantur.

Iam vero quot omnis cenſus omniſque ætatis in Principum Regijs inuenias tanquam in veris nundinis, opes, famam, amicitias laborioſiſſimo negotiationis genere conquirentes: hos juuabit interdum illuſtri viro ad amicitiam aperto, ad perſoluta & incurioſa gaudia diffuſo occurriſſe, cujus ductu & auſpicio fortunæ fauentis auram moderabuntur, omnibus vero artificijs non ſeruabunt tãtum, ſed etiam in dies augere conabuntur. Imprimis quam plurimos amicitia complectentur, in omnibus autem vnum perpetuo cultu demereri ſtudebunt, quem non tantum Princeps ad gratiam primæ familiaritatis admouerit, verum qui clientes inſuper publicis commodis poſſit attollere. Vix enim aliquem ex multis reperies, qui ſuis opibus

alijs

alijs velit prodeſſe. Secundùm hoc aut ſummo in ſuas cupiditates imperio, aut ſedulâ & auſterâ diligentiâ verſatilem animum in diuerſa componere, pars non vltima totius negotij eſt. Cæterum inconſultæ juuentuti quæ tum maxime in proceribus amat numerari, inexperta vitia plus arrident; quando hæc prima libertas à præceptorum ſupercilio exiens, laſciuiæ ludorumque famam quaſi in virilis nobilitatis argumentum conſectatur. Ex ijs porro quos ad miſerabiles vſus, vel ciborum veſtiumque inopia, vel non reſpondentes titulis diuitiæ adegerunt, nulli infeliciores mihi videntur, quam qui anxios animos læti vultus imagine obducunt; ſibi felices, ſi alijs videantur. Opulentorum verò animus, ſi in cumulatas à majoribus opes naſcantur, aut ipſi ſenſim ad diuitias aſſurgant; non ita frangetur quotidianæ lætitiæ ſenſu, vt ſe mirentur diuites eſſe, ſubitis fortunæ muneribus obruti: nec ita immodice exultabit, vt ſe ſe jactationis vitio tam permittãt, quam qui militarem diſciplinam in præcipuam laudis partem reponũt: quod

tamen ijs solet accidere, qui repente prodigæ felicitatis beneficio inundantur.
Ab aularum fastigio statim occurrit prima Magistratuum Patronorumque dignitas, quæ non virtuti amplius, sed ambitioni, gratiæ, pecuniæ, muneribus patet: quis enim amabo, Deam illam cujus vicaria fide jus dicit, gratis & ob pulchritudinem colit? Nemini cara Reipublicæ cura, maxime si cum priuato commodo stare nequeat; neque id solum, sed quòcunque odium aut spes impulerit, id tandem pro se facile quisque audet quod amicitiæ & muneribus primum indulserat: qualis vero modesta illa, & fucata crudelitas? longis nodis impedire productas in forum lites? infinito ac veluti Religioso ordine ad exitum causas sero peruenire? Iudicia quæ ipsi vendere palam timent sub alijs sectoribus prostituere, ministris scilicet, quos domi suæ à scriptionibus aut memoriâ retinent? Quanquam nihil fortè gratius, quam omni forensi negotio vacuum veluti in portu, modo pacatum forum, modo procellis æstuosum despecturum aliquem con-

ſidere ; hoſque potiſſimum Neptunos intueri, qui fluctum omnem ſuo nutu temperantes, admirabilem ſui reuerentiam omnibus infundunt; tum præſertim, cum ſi non liberalitate ſemper, ſaltem humanitate & honore literarum literatorumq; ſuſcipiunt clientelam.

Ciuium indoles inter optimatum plebiſque extremos limites temperata, illorum moribus participat, ad quos accedit propius. Qui Iudicum miniſtri praxim forenſem profitentur, plus habent doli, ſuperbiæ & ambitionis ; qui mercaturam aliaque ciuitatis munia exercent, plus habent fidei ſinceræ & innocentiſſimæ pietatis. In vtriſque vigent admodum leges amicitiæ, ſed in iſtis majori integritate & conſtantia. Ab vtriſque optimum prudentiæ factum mature colliges; quod cum ſinguli eam artem exerceant, quam nacti ſunt, & ſincerius familiariuſque animi ſenſa expromãt, omnia facile addiſces, ſi vnum aliquem in vna claſſe ſeu conditione ſubinde excolueris.

Arenim plebs velut ſentina reliquorum om-

nium fece ſordeſcit. Nam ſi externum Reli-
gionis cultum & variam bellicæ virtutis, vel
eruditi nominis famã, quibus populi maxi-
me mouentur, amoueris; ne virtutis quidem
vmbrã in eo hominum genere ſupereſſe re-
perias. Non ſincera pietas, non perdurans
virtutis honos, non erga ſuperiores con-
ſtans vel reuerentia, vel obedientia, nullæ
vrbanitatis leges, vix vlla virtutum cultura;
ſemper præſentis ominationis impatiens,
in nouas partes præcipitans, mox majori le-
uitate & inconſtantia quam in maritimis
vorticibus, fidem mutant, quam nunquam
ſeruãt, quia nuſquam habuerunt niſi vena-
lẽ, lucro enim nihil non metiuntur. Cura igi-
tur prudentiæ non vltima, noſſe vulgi ge-
nium & errores illoſque deuitare; Mobilem
enim & crudelem beſtiam irritare, ignem-
que gladio proſcindere vetat Pithagoras. Si
ſemel ſub jugum miſſi ſunt, autoritate in
ſpeciem lenitatis continendi: ſi proprio vel
alieno ſtudio ad ſeditionem exardeſcunt,
initio diſſimulandum, deinde tumultum vt
ignem extinguere, tandem in autores & ca-

pitā animaduertere, ne impunitate in licentiam abutantur.

Reſtant humanæ Reipublicæ velut manus & pedes Ruſticani ; qui aliqua hodieque retinent prioris innocentiæ veſtigia. Auitæ Religionis & Imperij tenaces , ſimplici viuendi genere in terrę cultu aſſiduo virtutem magis exercẽt quâm norint, paruo lare contenti diuitias deliciaſque ſuſpiciunt, nec niſi moderatè ambiũt, ferme ad honeſtam ſeruitutem nati, ſi amari ſe ſentierint , victimæ fiunt. Quo in genio ſemper alendi , ſi enim frœna conculcant, & ſeſſorem excutiunt; natiuo & fere bruto impetu in ferocem elationem, tumidam ſuperbiam , crudelem inhumanitatem abripiuntur, & domeſtica, interna apertaque inter pares inuidia & lites miſeros exagitant.

Quibus ita ſummatim expeditis ad genuinam cuique prudentiam ex mira hominum varietate ingenerandam ; vnum id ſupereſſe videretur , vt amoto ſanctuarij velamine , in Miſtarum Pontificumque mores quorum primus eſt ordo , attentius inſpiceremus.

Verum quãdo ſacra hæc auſu curioſo temerare nefas eſt, dixiſſe ſufficiat ex ijs qui in ſæculari Politia Numini deſeruiunt majorum quaſi gentium ſacerdotes, in apice dignitatis collocatos nihil non ad ſplendorem, diuitias, delicias, ſciẽtiæ interdum & virtutis famam, familiæ nominiſque æſtimationem comparare. Non deeſſe tamen qui ſincerè virtutem colunt, innocenti vita, aperto ingenio, literis literatiſque fauenti dignos ſe præſtent infularum honore.

Iam in inferiori gradu poſiti, vix tutantur ſe ab apertæ ambitionis auaritiæque maculis, necnon occulta in pares inuidia, niſi eliminata omni cupiditate, totos ſe pietatis ac doctrinæ ſtudijs manciparint. Vtroſque in ſumma habere reuerentia, etiam quoties foret opportunum officiosè demereri par eſt; cum ob numinis conſcientiam, tum ob publici Religionem; ne etiam auerſos habeas vbi res & tempus omnium opem requirent. Quod in illis maxime verum eſt, qui ſeueriori voto, virtutis & ſcientiarum profeſſione, hominum mentes magis in ſui rapiunt ad-

miratione m : vt enim optima quæque ſi ſemel corrumpantur deterrima fiunt, ita nihil deteſtádum magis, quam ejuſmodi ſtrumæ, ſi vel ſui ſtatus priuilegijs in licentiam & flagitia apertè abutuntur, vel occultis cuniculis opulentiæ, aut ambitioni artificiosè velificantur. Nihil è contra eo hominum genere colendum magis aut amicè ſuſpiciendum, cum ſacramento ſuo dignos ſe præſtant. Hi enim ad omne decus vel à Deo ipſo effícti, viræ ſanctimonia, virtutum integritate, doctrinæ puritate & eminentia, morum politiſſima ſuauitate, amicitiæ innocenti fœdere ab omnibus in delicijs & veneratione haberi debent, vt omnibus amant eſſe ignoti.

FINIS.

A 10038